Sächs
L 1774

Nr 1253
349 388

NICOLAI HENELI
U. J. D.

SILESIOGRAPHIA,

Hoc est:

SILESIÆ DELINEATIO BREVIS ET succincta: in quâ non modò regionis rationem, naturam, cultum, & prouentum, verùm etiam ingenia, mores & instituta habitantium formamque Reipubl. tanquam in tabulâ contemplari licet.

IN RATIONE CONVIVIORVM, quamvis à plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen cœnam laudare solemus: nec ea, quæ stomachus noster recusat, adimunt gratiam illis, à quibus capitur. *Plin.*



Sic 43

FRANCOFVRTI,
Typis IOANNIS BRINGERI, Impensis verò Iohan. Eyringij & Iohan. Perferti. Bibliop. Vratisl.
M. DC. XIII.

BIBLIOTEKA NPŚL
NR INW. S/323
SYGN. 3725

REVERENDISS. SERENISS. ILLVSTRISS.

ILLVSTRIBVS, GENEROSIS,

MAGNIFICIS, STRENVIS, NOBILISS.

AMPLISS. ET PRVDENTISSIMIS

DNN. PRINCIPIBVS, BARONIBVS, CETERISQVE

PER SILESIAM VTRAMQVE PROCERIBVS AC STATIBVS EMINENTISSIMIS

DOMINIS SVIS CLEMENTISSIMIS ET PERQVAM GRATIOSIS

SESE ATQVE ISTA ET SVA OMNIA

CVM ÆTERNA FIDE, CVLTV, OBSEQVIO

DEDICAT CONSECRATQVE

NICOLAVS HENELIVS

Neostad. Siles. V. J. D.

Minimè mihi ratio reddenda, cur libellus iste ad Vos, Celsissimi Principes cetericque Silesiæ inclyti ordines, viam adfectet. Quorum enim auspicio aut tutiùs aut libentiùs à Silesio de Silesiâ conscriptus lucem aspiciat, quàm eorum, quos Silesia PATRES PATRIÆ *multò meritissimò agnoscit & adpellat: quorumque adeò siue generis claritudinum ac nobilitatem ab aliquot seculis repetendam, siue ditionum amplissimarum potentiam, siue religionem, prudentiam, iustitiam, æquitatem, clementiam aliasque laudatissimas virtutes, siue denique egregia in Rempub. merita, suo quæque respectu, æstimemus, tàm illustria sunt decora: vt si ab illo splendore vel*

ſtricturam aliquam tenui huic & obſcuræ perſe ſcriptioni, vel aduerſus maleuolorum obtrectationes, quas, vt tempora & mores ſunt, vix defuturas mihi, incedenti *videlicet, vt ille ait,* per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, *modò ſatis præuideo, tutelam ac patrocinium quæſitum eam, ritè & ordine facere optimo cuique videri queam. Equidem haud ſum neſcius in tàm excelſo faſtigio poſitos non ſine relligione adiri à me debere. Verùm* mola ſalſa litat, qui thura non habet: Nec vlli fuit vitio Deos colere, quoquo modo poſſet. *Neque diffido ego, quin quod veſtri nominis honori non ſolùm lubens meritò, quæ antiqua eſt votorum formula, ſed & venerabundus conſecro donarium, volentes ipſi ac propitii ſitis accepturi: cuius licet per ſe exigui, oblatio tamen exigua videri non poterit, ſi magis mei animi, qui in cultum veſtri deuotiſſimus, quàm ſui precii æſtimatione pendatur. Sed & pietas illud in patriam, maiorem illam & antiquiorem parentem, cuiusque cultu & amore nihil mihi ſecundum cœleſte Numen charius, commendauerit: quam certè ſtudium mihi fuit ornandi: & quàm præclaras atque eximias Dei conceſſu ac munere habeat dotes, quibus ſe alijs quibuſdam regionibus ſi non præferre (hoc enim ſit fortaſſe nimis magnificum & ſuperbum atque inuidioſum) at conferre ſaltem poſſit, breuiter demonſtrandi. In quo ſi fortean me vires defecerunt, neque omnia ſuis coloribus expreſſi, cum iuſti tituli volumen hæc tam amplæ laudis materia ſibi depoſcat: in ſpem nihilominus adducor certiſſimam, adfectum potiùs quàm effectum iri ſpectatum, & in re bona velle-*

ues

ues conatus ab homine patriæ ac veritatis amante profectos locum aliquem ſi non meriti, ſaltem gratiæ reperturos. Mens boni ſtudii ac pii voti, etiam ſi effectum non inuenerit cœpti operis, habet tamen præmium voluntatis, *ait Chriſtianiſſimus ſcriptor Saluianus Epiſcopus Maßilienſis. Idque vt à vobis etiam impetrari patiamini, & quà ingenitâ quà ſuetâ erga literatos benignitate ac beneficentiâ me quoque ſi non eruditorum, at ſaltem eruditionis candidatorum quantulamcunque partem, vobis autem addictiſſimum clientem atq; ad omne obſequii genus paratiſſimum vnà cum ipſo literario hoc meæ erga vos deuotionis, erga patriam pietatis indicio, ac, ſi ætatem ferre poterit, monumento in patrocinium veſtrum (ſi non nimium eſt, quod peto) recipiatis, ſubiectiſſimâ obſeruantiâ maiorem in modum oro quæſóque. Nec pluribus vos, ne in commoda publica peccem, nunc moror, ſimplici & vno omnia complexo voto ſignans.* DEVS VOS NOBIS SERVET, VESTRA SALVS, NOSTRA SALVS. *Ita eueniat, ita eueniat: quod etiam atque etiam orat & animitùs vouet*

Reuerendiſs. Sereniſs. atque Illuſtriſs. Celſitudinum,
Generoſarum item, Nobiliſs. atque Ampliſs.
Dominationum veſtrarum

Cliens devotißimus

NICOL. HENELIVS.

AD CLARISS. ET CONSVLTISS. VIRVM

Dn. NICOLAVM HENELIVM
Juriſconſultum

Fauſtæ Amicorum in Sileſiographiam Congratulationes.

I.

EXornare ſuam & pulcrè deſcribere gentem,
Doctrinæ ſimul eſt ac pietatis opus.
Laudem hanc, Heneli, meritò tibi gratulor vni,
Dum patriæ pandis ſacra, profana, tuæ.
Per te quàm latè Romanæ gloria linguæ
Sparſa per innumeras floret in orbe plagas,
Tàm quoq; clareſcet Sleſiæ res publica, item res
Priua, tuis primùm nobilis auſpiciis.
Hinc pius in patriam meritò celebraberis, & te
Ingenium que tuum patria grata colet.

Matthias Bilizer à Bilitz J. U. D. Conſiliarius & Vice-Cancellarius Brandenburgicus in aulâ Jegerndorfenſi.

II.

FÆcunda famæ ſcande palatia
Æqui-boni Flos integer Heneli,
Poſtquam diu iam militaſti
In Fidei Themidos que caſtris.
Quantum feroci diſtet amabilis
Virtus tumultu, plus vice ſimplici
Magnis bonorum comprobaſti
Plauſibus, ô Charitum medulla.

Nunc

Nunc publicatos non ſine honoribus
Fructus laboris GLORIA buccinat
Viuax, ab ortu clarioris
Solis ad Heſperium cubile.
Dirces amœnos heîc latices pete:
Circe relictâ, quem iuuat aridas
Mollire fauces erudito
Nectare: potor abi maligne.
Tu ſpiſſa curis Inuidia improbos
Exclude morſus: Mome vale: tibi
Hîc nil rei: liuoris vmbram
HENELII radius repellit.

Georgius Schônborner Sileſius Phil. & I. V. D.
Conſil. & Cancell. Zoller.

III.

VIdes vt horti Sleſiadum nouos
ſpirent odores, quos ſitit accola
Curſu fatigatus citato
Danubii Viadrique potor!
Expande palmas, dona ſat vbere
Glebâ capeſſes: HENELIVS catus
Plantas dedit felicioreis
Alcinoi Heſperidumque pratis.
Fruſtra Sabothi vellitis è ſpecu
Gazas, & imâ de foueâ Gryphi;
Aut quæ vehit Zacus fluenta;
HENELIVS niſi monſtret vrnam.
Donec Gigantum Dæmon in arduo
Præſultor audet ludere vertice,
Conatibus nemo par iſtis
Tot referet valitura dona.

Iuſtam

Iustam meretur laudis adoream,
Dignus recenti Pyramidum situ,
Quem non edax rodet vetustas,
HENELIVS supra astra vectus
a) *Cessent Cachinni quos malè futili*
Rumore mouit vulgus, vt inclutis
Mensas SILESIS exprobrarint
Arcadici pecoris secundas. b)
c) *Hoc an fauoris simplicitas soror?*
An grande suasit dira fames nefas?
Vindicta seu, quod trux onagrus
Pampineis d) *nocuit racemis?*
Num temperatis SLESI A ferculis
Contenta, taleis appetiit cibos
Quod sic onagros vnus omneis
e) *Carduus ad speciem saginat?*
Num fors metalli munere ditior;
f) *SLESVS* reuersus Zechiadum è iugis,
Quæ mox aselli sunt iocoso,
Nomine concelebrata famæ?
An pigra g) *garris improbe corpora?*
Illudque ab esu carnis in intimas
Iuisse partes & medullas
(Format enim leuis esca moreis.)
An quòd vetustos sub Boreæ diu
h) *Slauos latentes frigore, nescios*
Selectioris commeatûs
Prima ais ordia gentis esse?
Credas Apella hoc; non ego: frigora
Horrescit arcto tergore bestia, i)
Per damna, per flammas laborans
Insidiis rapuisse fœtus.
An k) *faustioris creditus ominis*
Occursus olim? num l) *leporem rati*

a) *In ἐνοφαγημαχίας.*
b) *Sciopp. in Scal. Hyperbolim.*
c) *Coniectura, de origine ioci istius.*
1.
2.
3.
d) *Varr. Pausan. in Corinth.*
4.
e) *I. Passerat in Encom. Asin. orat. p. 12.*
5.
f) *M. S. antiq. Boh.*
6.
g) *Adrian. Turneb. lib. 13 aduers. c. 19.*
7.
h) *Ph. Melanth. 4. Chron. Rein. Reinec.*
i) *Plin. lib. 8. c. 43.*
8.
k) *Passerat. d. l.*

(*Risum*

(*Risum tenésne ô Democrite!*)
Mox avidâ rapuêre fauce?
Sic est: leporem non leporem tenent,
Nec pulpa m) *formæ conciliabulum*
Torquet colonos: namque forma
Sufficit hic vegetans abundè.
Poppeæ n) *asellæ lacte genas, manus*
Fricabat, annis lubrica conspici:
Lomenta dedignantur isthæc
Ignibus illicibus micantes.
An quod medetur tabifico malo
Lac haustum asellæ? phthisis. o) *enim solens*
Vexare pulmones malignos
Lacte asinæ calido fugatur.
Num quod Iacobeis p) *animal sacrum,*
Quorum penetrali effigies fuit,
Erroris assignante bruto
Semina noticiamq; gressus?
An quod minutim tracta metathesis
Nos à Selignis Elysios satos
Cum Teutonum confusa asello?
Dissita re sociat character.
Sed quis per altas se sine tædio
Diffundat vndas, queis scatet istius
Vexæ lacus? discedat ille,
Cui facile tumet igne bilis.
Paucis adesdum Lalle: caput tuum,
Neu sperne voces, helleboro indiget:
Non scabra mensas Slesiorum
Amplius esca onerat politas.
An credis olim sic epularier
Suetos Quiriteis (gula quid ingeris?)
Auctore Mecœnate? scriptum
Plinius eximius reliquit. q)

m) *Martial. 5. epigr. Lamprid. in Alex. Sev.*
n) *Plin. lib. 11. cap. 12. Tacit. 13. annal. c. 12*
10
o) *Io. Langius lib. 2. epist. medic. 1. ad Ott. Henr. El. Palat.*
11
p) *Tac. 5. hist. ca. 1.*
12.
q) *li. 8. c. 43*

Nostris

Noſtris onagri funditus exulant
Arris: quod acta eſt Barbaria in fugam
Felice doctum pulſa dextrâ
Neu reduci pateat regreſſus.
Ergo cauernis paſcere luridis
Immanis æſtro Bellua: lucida
Vitanda ſunt poſthac theatra
Quæ genio patriæ coruſcant.
Me CHRISTE! quantis SLESIA floribus
Ornata tellus! quanta ſeges Sophûm,
Iuriſperitorumq; & æqui,
In peregris adoleſcit hortis!
Læto vireſcit SLESIA frondium
Virgulto, & æquat ſidera vertice
Sublimis: vbertate cunctis
Anteferenda cluet Lycéis.
Quid ſit futurum poſt mea tempora
Nullus requiro: Barbariem ſemel
Pulſam reuerti IOVA fineis
In patrios prohibebit ipſe.
Sit quod fideli voueo dexterâ
Auctore fixum Numine cælitum!
Atq; inter hæc noſtrum perennet
HENELIVM DEVS VNI-TRINVS.

Idem Schonborner ſſt. Breslæ in procinctu itineris ad Comitia imperii.

IIII.

ELyſii properate viri ſtatuiſſe tropæon
HENELIO: longâ nunc quia nocte caret
Terra antiqua, potens armis, atque vbere glebæ
SLESIA: quam colitis, quæ genitale ſolum eſt.
Præluſtres hic nempe ortus deducit ab ouo,
Veraq; tot mirâ cum breuitate docet.

Inſtar

Inſtar Parrhaſij veſtras delineat vrbes,
Firmaque præſidio, & quæ loca tuta, notat
In tabula mores velut ingenioſus Apelles
Pingit, & ingeniûm ſemina mille refert.
Ac velut arte ſcopas in clara luce videndam
Exhibet, Elyſiæ qui ſtatus, ordo rei.
Et genus, & proauos, vos quæ teciſtis & ipſi,
Amplius vrgeri nocte ſilente vetat.
Elyſii properate viri ſtatuiſſe tropæon
HENELIO: Lethen qui Styga ad vſq; fugat.
Viuat vt extento ad ſeros HENELIVS æuo,
In patriam meriti notior axe ſuper.

Ioannes Feſchius Vratiſl.
J. U. D.

V.

Parodia ad Horat. Od. XV. Lib. IV.

CLeio volentem pharmaca me loqui,
Graueisque morbos, admonuit ſtylo,
Vt pauca Germanum per orbem
Metra ſeram. Tua, HENELE, Sleſis
Frugeisque terræ prædicat vbereis,
Et bruta noſtri notificat ſoli,
Contenta ſiluarum profundis
Saltibus: & celebrem Caménis
FABRI Sabothum iactat; & ambitum
Omnem obſerantum viſcera fluminum
Enarrat; adſignatq; piſceis;
Et varias manifeſtat arteis,
Per quas Sileſum nomen, & incolæ
Creuêre fortes, famaq; & ingenI

Porrecta dignitas ab axe
Concubio, medium vsque ad orbem.
Scriptore temet diuite, non furor
Hostilis, aut fraus demet adoream:
Non lingua, quæ diffamat vrbeis,
Et celebreis agitat colonos.
Non, qui furorem schismaticum vomunt,
Magmenta tollent Slesica: non logi,
Non fastus, vsuræq; turpes:
Non Veneris prope castra luxus.
Nosq; & secundis lucibus & nigris,
Inter laboris munia crediti,
Cum prole, vicinisq; nostris
Corde DEVM solito precati,
Mauorte claros, mors Patrum, duceis,
Verbis remisto carmine Tulliis
Regemq; & Principes, & almæ
Elysiæ Proceres canemus.

CASPAR CVNRADVS
Sil. Phil. & Med. D.

VI.

SIc est, ô Themidi & Charisin chariſſime HENELI,
Atq; animæ pridem portio magna meæ.
Sic inquam est: pleriſq; hominum vt peregrina putentur
Optima: sint rari, patria quos capiat.
Mens tibi longe alia est. Alio cum sole calentes
Terras atque vrbes videris innumeras,
Ausoniam inprimis tellurem, & Gallica regna,
Scribendi vnde foret plurima materies:
Te patriæ tamen vrit amor, crediſq; laborem,
Per patriæ laudes velificare pium.

Cuius ob id decora exequeris præclara, Lucænâ,
Et breuitate, boni quid ferat illa, doces.
Qui mentes illi ac fluuii, quæue opida & vrbes:
Quæ studia ac mores conditioque hominum:
Quiue magiſtratus, ratio quæ judiciorum:
Et chartis dignum si mage quidquam aliud.
Macte mihi hoc animo: macte hac pietate: futura
Quam agnoſcet sera in secula posteritas.
Quamq; illuſtrasti calamo (sic auguro) honorem
Rursum illuſtrabit SLESIA grata tuum.

Daniel Venediger J. C.

In Viri Clariſſ. Dn. NIC. HENELII JCti
Symbolum auguſtum

Ἡμὲ βλέψον ἄνω

FED. MORELLI *Profeſſoris in Acad. Pariſ. Regii*
δίστιχα διγλωττία.

Ἡλίῳ ἀρχαίης σοφίης ὑπερίον' ἐναθεὶς,
Βλέψον ἄνω νοερὴ πατρὶδ' Ἀναξαγόρεω.

Anaxag. cognominatus vũs.

Sursum cor spretog; solo vnum suspite cœli
Autorem, & patriam mentis Anaxagora.

Σπεῦδε φίλα ψυχὴ βίον ἀθανατ', βλέπε δ' ἄστρα
Σύμβολα Νικόλεω τοῦπερ' Ἐνηλιάδεω.

Cœlo Musa beat; cœlestia templa tuere,
Siderag; ingenio subiice celsa tuo.

NICOLAI HENELII
V. I. D.

SILESIOGRAPHIÆ

CAPVT PRIMVM.

Sileſiæ incolæ: nomen & ἔτυμον: ſitus: populi finitimi: partitio.

SILESIAM optimam dulciſſimamq; patriam per certa capita memoriæ & intelligentiæ iuuandæ, non quidem vt debet (neq; enim iſti difficultati ſuperandæ parem me agnoſco) ſed vt poteſt, ſummis inquam coloribus delineaturo, conſilium ſane non eſt omnia, quæ in eius laudem dici poterant, exequi: ſed ea duntaxat, quæ & ad rem pertinent, & vera eſſe non vanis mihi argumentis perſuadeo. Nobilitas & ſplendor gentis cuiusq; nulla re æque ac veritate commendatur: nec committam adeo, vt falſis ornamentis conquiſitis atq; aſſutis illorum fidem, quæ vera ac certa ſunt, labefactem: geographos hac parte imitatus, quorum tabulæ extremum terræ marisque loculum incognitæ oræ nomine præſcribunt, tanto prudentius, quàm ſi incomperta & inoperta pro certis exploratisq; adferrent. Itaq; & in prologo, vt ita dicam, huius ſcriptionis, cum vetuſtiſſimorum *Sileſiæ incolarum*

larum memoria denſiſſimis tenebris, partim etiam fabulis ſit inuoluta, omiſſis quorundam traditionibus, de quibus illud Plauti iure vſurpes, *Hæc nihilo mihi videntur eſſe ſecius quàm inſomnia*, hoc tantum adſeram, quod fidenter ab omnib. poſitum, & plerisq; doctis conſtanter creditum, neq; id refragantib. cõiecturis: regionem nimirum hanc, quæ SILESIA poſterius dicta eſt, QVADIS olim Marcomannorum & conterminis & ſociis fuiſſe habitatam. Gens vtraq; bello celebris, & manib. animisq; valida: quarum quæ præcipua tunc extiterint facinora, vt ab aliis q̃q̃ raris literis conſignatum reperire eſt, ita ſigillatim proſequi, atq; huius nunc anguſtiis opuſculi concludere velle, id vero ſit----χειδίη πεφρᾶν μέγα λαῖτμα θαλάσσης.

Magnum rate pertranſire profundum.

Romanos ſane, illos rerum dominos, varia victoria adeo fatigarunt: vt primus omnium M. Aurelius Antoninus Imp. orbis terrarũ conſenſu Philoſophus cognominatus, Chriſtianorũ militum precib. victoria diuinitus impetrata, triumphũ de iis emeruiſſe duxiſſeq; legatur. Cuius triumphi & victoriæ, quanti tunc ea habita eſt, monumentum etiamnum Roma retinet fere ſolum inter tanta rudereta integrius, columnam cochlidem Antoninianam, arte & opere admirabilem, totiusq; eius belli ac victoriæ adhuc repræſentatricem. Quadis ſucceſſerunt SLAVI, gens Sarmatica: qui quodam tempore prægrauantẽ domi multitudinẽ ductis coloniis exonerare adgreſſi, ſiue aliis de cauſſis ſedib. ſuis exciti, cum tranſmiſſo Viſtula flumine in ea Germaniæ loca, quæ prius Vandali tenuerant, immigraſſent, hanc ẽt Quadorum ſedem occuparunt: generali nomine POLONI, ſiue à *Pole*, q, vocabulum planiciem & venationem ſignificat, eo q, plana maiori ex parte & venationibus exercendis opportuna ſit prouincia, ſiue à *polo*, Aquilonio nimirum, cui regio ſubiecta, ſiue deniq; à primo duce auctoreq; ſuo *Lecho* vel *Lacho*, quaſi Polachi (quomodo ipſi ſe adpellant, atq; ita fere ẽtnum à vicinis & externis populis adpellantur) nuncupati. Generali inquam nomine: neq; enim vocabulum aliud reperire eſt, quo huius regionis incolæ ante inuentũ SILESIÆ nomen vocati. q, quidem recentius eſſe, & vix à quingentis annis aut paullo amplius vſurpari cœptum neminẽ in hiſtoriarum lectione vel leuiter verſatum poteſt fugere. *Ditmari* ſane Epiſc. Mersburgenſis, qui Ottonis III. Imp. σύγχρονος fuit & cognatus, ætate nondum celebrabatur, ſed ſub Poloniæ vt imperio, ita nomine adhuc delitescebat. Meminit ille quidem vetuſtiſſimæ ciuitatis *Glognæ*, item q; *Croſnæ*: ipſius Sileſiæ liquido & diſerte non meminit. Niſi forte eo in loco Sileſiam intelligere exiſtimandus, cum lib. 7. Chron. ſcribit, vrbem quandam ab Imperatore obſeſſam, *Nemetzi dictam, eamq; ſitam in pago Silenſi*. Quid enim, ſi Nemetzi ſit Nimitium? pagus vero Silenſis Sileſia? ſiquidem pagum non quomodo hodie pro vico ſiue villa muris portisq; carente, ſed veteri Germanicæ linguæ conſuetudine, quam & Cæſar in Commentariis & annales ſequuntur, pro regione, ditione, territorio ſiue diſtrictu accipiamus. Sed quàm anceps & incerta ſit hariolatio iſta nec ignoro, nec diffiteor. Quæ Sileſiæ nominis originatio, variæ ſunt opiniones: & multos incertos certare hanc rem videmus: quàm tamen ſcias an neſcias in neutram partem multum intereſt. Neque enim hic verſantur opes Sileſiæ. Sunt qui ab *Elyſiis* nos petant: dii deæq; quàm non vane ſolum, ſed ridicule! frigido quippe ſoni argumento, quod nullo alio fulcitur tibicine. *Peucerus*, *Reineccius*, alii à *Slauis* deriuant: ſicuti à traiectu horum Vratislauiam. Sed mihi crede, neque hic firmitas: opinio eſt, de qua illud magni vatis vſurpes:

Φόβος πολλὰ λέγειν ἐτύμοισιν ὁμοῖα.

At illa *Martini Cromeri* rerum Polonicarum ſcriptoris mehercle accurati coniectura, quam & *Franciſco Fabro*, viro ac poetę optimo, Reipub. Vratislauienſium quondam à ſecretis in eo, quod Sabothum inſcripſit pererudito & examuſſim eleganti poemate placuiſſe video, annon veracior? Sileſiæ (&

magis si *Slesiam* scribas, quo modo ferè in antiquis monumentis) à confluxu multorum populorum nomen inditum: siue tunc, cum Vladislai filii Henrici IV. Imper. nepotes instante precibus atq; minis apud Boleslaum, cognomine Crispum, Ethnarcham Poloniæ Friderico Barbarossa Imper. cum is ab Italica expeditione capto euersoq; Mediolano reuertisset, reuocati hanc Poloniæ partem à reliquo corpore separatam in suam ditionem acceperunt: siue etiam aliquanto prius, nempe postea quàm Sbigneus nothus Vladislai I. filius eam oram inuasit: ita vt Silesii siue *Slezaci* quasi conuenæ dicantur lingua Polonica. An non, inquam, hæc coniectura vero, certe verbo magis adsidet? Non facile pro certo dixerim: & perquirant alii, qui linguæ Polonicæ non ignari. Ex hac enim sola nominis Silesiæ, vt & vrbium vetustiorum, rationem petendam esse alte mihi sedet. quod qui negare audebunt, & mero meridie lucere per me quidem negent.

Silesia porro, quatenus quidem hic à nobis describitur, ex sententia eorum, qui ex cœlestium circulorum inclinatione ac siderum ortu terrarum interualla metiuntur, & in primis secundum delineationem virorum clarissimorum *Martini Heluuigij* & *Ioachimi Curæi* (qui patrios annales scribere primus aggressus, ob id vel solum, si cubi eum humanitus peccare contingat, vt nemo vnus mortalium est, qui sine vitiis vel viuat, vel scribat, non contumeliam, sed laudem vel saltem excusationem mereri debet) secundum longitudinem à gradu 32. ferme vsque ad 36. & aliquot scrupulos amplius quàm per 40. milliaria Germanica protenditur. Latitudo autem Silesiæ 20. præter propter h. e. plus minusue milliarium est: & summa quidem poli eleuatio est graduum ferme 52: ima paullo minor, quàm 50. Ita quidem, vt figura eius non rotunda sit & circularis: sed tetragoni speciem, inæquilateri tamen, præ se ferat. Latus orientale est à fontibus Vistulæ, qui sunt ad radices Carpathi montis, non procul Teschena ad fontes vsq; alterius fluuio-

fluuioli Bredniciihaud procul Bithonia: & milliaria continet ferme 20. Occiduum latus statuitur à fontibus Quissi fl. in montibus Sudetis, ad confluentem vsque Boberi & Viadri, qui est ad opidum Crosnam: & limes est Silesiæ Lusatiam versus & Marchiam Brandenburgensem, itidem milliarium 20. & amplius. Austrinæ plagæ obiectum latus est à fontibus Vistulæ vsque ad Quissi fontes complectens milliaria instar 40. videlicet ab opido Tischena vsque ad fines Lusatiæ. Pars septentrionalis à fontibus Bredniciiad confluentem vsque, qui est Crosnæ: pariter milliaria circiter 40. continens. Regio porro vniuersim tum montuosa est, tum campestris. Qua Septentrionem spectat & occidentem, planior est & ab montibus liberior: amœnos hic ibi habens colles, interque eos valles non minus iucundas quam frugiferas. Interior Silesia planicies habet amplas, & campos fertiles: suis tamen nec ipsa montibus, iisque non inuestibus aut sterilibus, sed qui densis vetustisq; nemoribus ornati, destituta. Inter quos principis loci *Zabothus siue Zottensis mons*, der Zottenberg, duobus à Suuidnicio milliarib. situs, verticis altissimi & in summo nonnihil lati, subiectaq; camporum æquora latissime despectantis, & vicissim longissime spectandi. Passus MCCCC. in circuitu complectitur, castellumque olim habuit impositum: cuius, quod latrunculis receptaculum præberet,

---quibus ignaua ocia, & allia, & alea pernox
Semente haud facta, sine rastro & vomeris vsu
Aurea proueniens alieno messis in agro
Vectigal censusq; fuit, rerumq; facultas
Summa parandarum-- -- --

A. C. cIↃ CCCC XXIIX. diruti soloq; æquati vestigia quædam etiamnum supersunt. Meridiano soli obiacent montes SVDETI, à solitudine meridionali sic dicti, quasi Sudöde / pars amplissimæ illius vastissimæq; Hercyniæ syluæ: qui ab Hermunduris progressi ab occasu in ortum ad Carpathum excurrunt,

& vt ad plura loca propter magnitudinem pertingunt, sic aliis atq; aliis vocantur nominibus. Qua enim Boiemiam respiciunt, & hanc à Silesia procursu suo tanquam natiuo muro separant, *Boiemici*, illis ipsis autem Boiemis *Cerconessi*, aliis *Riphæi*, *Gigantari*, & quod toto fere anno niue siue niuiũ potius senio canescant, *niuiferi* montes audiunt: das Böhmische / Riesen / oder Schnegebirge. In quib. eminentissimus & cæteris omnib. sublimior, *Gigantæus mons*, proprie, der Risenberg / auro, argento, ære, gemmis grauidus, sed in quem auaritia, quæ mortales etiam ad inferos agit, nescio an difficiliori euectione an aliis causis deterrita minus penetrauit: obuersantis præterea mõtani dæmonis terrore, & mirandis visis decantatus. Nostratib. der Ribenzal vulgo dicitur, qui varia forma & specie, modo monachi cuculligeri, modo senecionis metallicorum more vestiti, mox equi generosi, iterum galli, corui, vlulæ aut bufonis maximi se conspiciendũ offert, mirisq; sæpe gestib. ea loca perlustrãtib. illudit: vix vnq̃ tamen noxã aut damnũ intulisse cuiq̃ compertus, nisi cachinno prius aut maledicto fuerit prouocatus. Tũc n. cœlo q̃uis sereno & aura silenti temporis momento ingẽtia & horribilia tonitrua ac fulgura cum imbribus largissimis suborta fuisse, non pauci sunt experti. Sed & futuræ tempestatis mons ille vulgo habetur prænuncius, der Schlesier wetterzeiger: quod idem Zabotho monti ab aliis tribuitur.

Vicinæ hinc gentes oracula certa futuræ
Tempestatis habent. Solito si tristior ardens
Obnubit fumis caput, & nigrantibus atras
Pinubus induxit nebulas, ruere omne videbis
In pluuias cœlum, & subitis furere omnia nimbis:
Diffugere agricolas, pecudesq̃, abducere pratis
Pastorem, aut patulæ stabulare sub arboris vmbra.
Nec temere ambiguo subductas reddere cœlo,
Rarescens nisi deponat vittamq̃ nigrasq̃
Placatus nubes, fumosq̃ iras q̃ remittat.

vt

vt hæc iterum de suis mihi largiatur doctiss. *Faber*. Is vero subditorum tractus, qui incipit à finib: montium Glocensiũ, & desinit in ducatu Teschinensi ad Carpathi iuga, Morauosq; à Silesiis dirimit, *Nissensium* & *Morauorum* montium nominib. gaudet, das Neissische / Mährische gebirge / item das Gesencke. Ab orietali autem plaga *Carpathi* iuga Silesiam tangunt, eamq; ab Hũgaria & Polonia disterminant, argenti & plumbi nigri egregie fœcunda: die Vngerischen Gebirge / vulgo Jabelunka.

Et ex hac quidem delineatione, qui collimitanei sint Silesiæ populi cuiuis facile adparet. Ad Septentrionem enim & Orientem conregionales illi sunt *Polonia* & *Hungaria*: qua meridies est, occurrunt *Morauí*: quà Occidens, *Lusatia* sese & *Marchia Brandenburgensis* offerunt.

Diuiditur Silesia vulgari & antiquissima partitione in *superiorem* & *inferiorem*, siue in primã & secundã: hanc quidẽ, quæ Poloniæ maiori & Marchiæ vicina est: illam vero, quæ ad meridiem Sudetos montes & Carpathum attingit. Hodie politica partitione in *Principatus* vel *Ducatus* (sic enim vulgo vocant) distribuitur sedecim: ex quibus singuli sua nomina acceperunt ab vrbe primaria, & ipsi deinde aliis veluti minorum gentium territoriis siue districtibus & diœcesibus (Weichbilder) fere distincti sunt: *Vratislauiensis* nimirum, *Suuidnicensis*, *Iauoriensis*, *Glogouiensis*, *Saganensis*, *Oppauiensis*, *Oppoliensis*, *Ratiboriensis*, *Teschinensis*, *Nissensis*, *Lignicensis*, *Bregensis*, *Monsterbergensis*, *Olsnensis*, *Carnouiensis* siue *Iægerndorffensis*, *Crosnensis*. Et ex his quidem Bregensis, Lignicensis, Olsnicensis, Teschinensis suos hodieque habent duces. Nissensem à patre sibi datum Iaroslaus Episcopus odio fratris consanguinei Henrici Barbati Vratislauiensi Episcopæ sempiterno iure adiunxit & addixit. quem Precislaus postea Pogarellius præsul Cracouiensi territorio, alii aliis auctiorem reddiderunt. Crosnensis & Iægerndorffensis Marchiones Brandenburgenses agnoscunt dominos. Reliqui ducatus defecti ducibus & dominis suis partim

iure

iure feudi, partim aliis modis in potestatem Regum Boiemiæ peruener nt. Sunt autem præter ducatus istos etiam *liberi Baronatus* quatuor, Freye Herrschafften / *Wartenbergensis*, *Milicensis*, *Plessensis*, *Trachenbergensis*: qui singuli suos habent dynastas, nullius præterquam Regis Boiemiæ maiestatem agnoscentes.

Ex his membris hac tempestate Silesia constat: cuius tamen termini multo spacioſius olim diffusi. Nam & *Osuencimensis* & *Zatoriensis* ducatus, itemque *Seuerienſe* territorium in Silesia quondam censebantur: quorum illi sub Casimiro Sagellonis filio ad corpus & compagem Poloniæ redierunt; hoc à Wenceslao Teschinensium Duce sex millibus marcarum venditum est Sbigneo Cardinali & Episcopo Cracouiensi. Fuit & *Fraustadienſe* siue *Vuchonenſe* territorium ducatus Glogouiensis membrum: quod Casimirus Polonus Vladislai Loctici filius in Silesiam contra pacta A. C. cIↃ CCC XLIII. irruens intercepit, & à Silesia auulsit. *Glocium* quoque cum adiacente territorio, quod totum in Silesiam vltra montes Boiemiæ, cui hodie adscribitur, prominet, quondam inter Silesiaca opida fuisse numeratum, non dubia habentur indicia: & idipsum testatur Dubrauius lib. 8. historiæ Boiemicæ. *Oppauiensis ducatus* Morauicæ aliquando ditionis fuit: in quo illustres sunt atque opulentæ Baronum & Nobilium familiæ, arctissimis necessitudinis, & legum præterea ac iuris æqualitatis vinculis etiamnum cum Morauis coniunctæ. Vnde factum est, vt conati fuerint patrum nostrorum memoria, & hodieq; conari non desinant, discessionem facere à Silesiæ ordinibus ad Morauos. Sed iudicatum est tunc à D. Maximiliano Imperatore, ditionem Oppauiensem ad Silesiam pertinere, neque ab ea auelli iure posse, cum à trecentis annis in Silesiæ conciliis & Senatu sederint. Itaq; tuendos in possessione tam vetusti iuris Silesios, donec diuersum ab Oppauiensibus demonstretur.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Silesiæ vbertas, quà fructuum terra nascentium, quà mineralium: animalia item fera & domestica: res pecuaria: volatilia.

REgio hæc vt septentrionalior est, ita sterilis, inculta, & siluis horrida pleraque fuit superioribus seculis, ætatis opinor iniuria, & incolarum arma magis quàm aratra tractantiũ incuria. Postea autem cum habitatoribus cultior facta esset, pacisque benignior aura adspirasset, siluæ illæ condensæ paullatim rarescere cœperunt, terraque humano cultu & improba industria, præterquam quà aut montibus attollitur, aut asperatur saltubus, sic emendari: vt paucarum rerum ad vsum vitæ pertinentium ac necessariarum indiga, multis ad ornatum & voluptatem Dei pietate indulgentissima abundet. Frumenta quidem, *triticum, adoreum, hordeum, auenam, milium, fagopyrum, & leguminum omniiuga genera* tanta hodie copia, quanta cũ sibi satis, tum in exteros haud raro populos transmittitur, effundit: nisi forte vis aliqua maior, puta tempestatis, grandinis, ventorum, immoderatarum niuium aut pluuiarum incesserit, aliaue calamitas contigerit, quę segetem vel adhuc humo cõditam, vel herbescentem, vel iam flauam, vel denique horreo compositam corrumpat. Soli tamen bonitas non vbique eadem. sicuti ne Palęstina quidem, quam DEVS terram melle & lacte fluentem nominat, omnibus in locis pari fertilitate fuit. Commendantur prę aliis soli lætitia *agri Vratislauienses*, *Strelenses*, *& Leobschucenses*: in quibus frumenta cum sexto, septimo, octauo, decimo etiam respondere compertum est. Addit Cureus *Glogouienses*: qui si suburbicarios & Oderę vicinos incelligit, nemo erit opinor, qui ipsi aduersabitur. Nec tamen

 desunt

desunt etiam viridantia & florifera *prata*, *pascuaque* animantibus omne genus enutriendis vberrima: neque non *siluis ac nemoribus* in planis iuxta ac montanis locis sua gratia. Nec enim penitus exscinduntur atque exstirpantur, cum propter venationem, quam inter laudatissimas Principum oblectationes præcipuam censeri oportere Xenophonteus Cyrus innuit, tum propter ædificiorum materiam, & lignationis vsum ac necessitatem, tum deniq; propter asperi vel arenosi soli hic ibi sterilitatem. In his autem siluis, & passim vbiq; locorum, arbores varii generis

-----nullis hominum cogentibus ipsæ
Sponte sua veniunt,------

Multæ etiam manu satæ procedunt: inprimis vero *abietes, aceres, alni, pini, piceæ, quercus, ilices, fagi, fraxini, platani, populi, iuniperi, buxi, orni, betulæ, tiliæ, vlmi, taxi minime venenatæ, larices, salices*, denique & aliæ, quarum enumeratio nunc longa est. Ex quibus quidem arboribus pleræque ædificiis domorum, nauigiis, aluearibus apum, & omnis generis instrumentis ac vasis vtile lignum aptamq; materiam suppeditant: quædam etiam porcis ferisque & alitibus vberem pastum largiuntur: omnes autem focorum, fornacum, furnorumq; ignib. alimenta subministrant. *Pomaria* apud Silesios frequentia & fructuosa, tàm in hortis suburbanis, quàm in prædiis rusticis; in quibus dici non potest, quanta *malorum, pirorum, prunorum, persicorum, nucum*, & quæ pomorum omnium prima, ita vt Euangelia eis debeantur Pomonæ ad hæmisphærium nostrum reuertentis, *cerasorum* bonitas ac varietas: quanta item omne genus olerum, radicum & herbarum esculentarum, florum ac plantarum odoratarum copia. Nec absunt quæsiti deliciis horti, & topiario opere lumina pascentes: sicut nec *castaneas, cotonea, amygdala, pepones, melopepones, cynaras*, aliaque talia solum Silesiæ negat, si quis in illorum cultura cum scientia diligentiam sociauerit. *Lino*, quod in agro Silesiorum nascitur laudatissimũ, adeo

adeo felix est hæc prouincia, vt vix locum reperias, siue magnatum arces conscendas, siue opida perlustres, siue agricolarum villas subeas, siue deniq; rusticorum casas intres, in quibus linificia tractari nõ animaduertas: quę ob id nõ modo nostrã gentem, sed exteros etiã homines diuitiis atq; opib. cõplent.

Nec vero minorem commoditatem & quæstum percipit Silesia ex *rubia satiua*, cuius præcipuus ad tincturas vsus: quippe qua imbutæ lanæ & melius atque penitius colores quosdam combibunt, & firmius durabiliusq; retinent. Eius colorem Garanziam vulgus infectorum in Prouincia & Belgio vocat: quitanto in pretio est, vt & regium colorem Galli nominent, & celebratus sit à Principe Poetarum sub Hiberę ferruginis commendatione inter colores militares, vt à summo viro *Iul. Cæs. Scaligero* proditum est exercit. 172. sect. 2. Hęc radix auorum nostrorum memoria magnis & quæstuosis inter Belgas & Silesios commerciis occasionem præbuit, cum ante illum *Cocci Baphici* cultura in his regionibus esset frequens, vt ex antiquis mercatorum rationibus adparet. Imminuto autem postea cocci baphici propter copiosissimam eius ex Hispania in Belgium comportationẽ precio omnis culturæ diligentia ad rubiam translata fuit: quæ vt multorum vectigalia mirifice auxit, ita afflicto deinde ciuilibus bellis Belgio iacere aliquamdiu visa fuit.

Acorus item, quem falso calamum aromaticum officinæ vocant, non multis ab hinc annis tam diligenter coli cœpit: vt ad exteros etiam deuehatur, magnumque inde cultoribus cedat lucrum.

Baccho inimicam prorsus esse Silesiam, nimium inconsulto credidit, & temere adfirmauit *Ioh. Dubrauius*, rerum Boiemicarum scriptor alioqui præstantissimus. Tametsi enim ob cœli intemperiem & auram frigidiusculam minus frequenter vinum colitur: non tamen nullibi videas in collibus apricis ad ortum Solis patentibus cum antiquo scriptore,

Vites lætificas pampinis pubescere,
Ramos baccarum vbertate incurvescere.

In inferiore sane Silesia vinum satis feliciter provenit: ac bonitate reliquis præferuntur, quæ ad *Crosnam, Gubenam, Grunbergam* colliguntur, præsertim rubra. Quis primus auctor fuerit vitium ibi propagandarum, quoue tempore primum hæc quoque loca Baccho placuerit lustrare, non puto certo sciri. Crosnensis quidem vini in Marchiam exportari soliti, meminit auctor magni Chronici Noribergensis, quod editum est A.S. cIↃ cccc xciii.

Summa hæc telluris bona & in aperto sunt, sed & operta eius viscera recludere & scrutari lubet, in quibus metallorum omnis generis venas benignissima & ingeniosissima parens natura abdidit ac dispersit. *Cornelius Tacitus*, magnus auctor, qui de Germania, quà potuit homo Romanus, id temporis diligentissime scripsit, *Argentum*, inquit, *& aurum propitii an irati dii negauerint, dubito.* Ex quibus verbis intelligere est, nullas eorundem metallorum fodinas olim in Germania extitisse. Adiecit tamen scriptor prudens, quod in re incerta & dubia omnino debuit: *Nec tamen affirmauerim nullam Germaniæ venam argentum aurumve gignere: quis enim scrutatus?* Hodie sane scrutantur plurimi, & reuera inueniunt, cum reliquam Germaniam, tum montes inprimis Sudetos omnis generis metallorum fertilissimos. Qui quidem cum & Silesiam nostram ex parte contingant: in illa quoque permulta esse metalla, eaq; magnum vtilitatis fructum incolis præbitura, si qua æquum est cura curarentur, dubitari non oportet. Et *auri* quidem diuite vena olim claruerunt Goldberga, Leoberga, Strigouia: hodie Zuckmantela, Reichensteinum, & vallis montis Gigantæi, **der Risengrund oder Goldgrund**: tum etiam Langenouia, Grunau & Smotzseiffen districtus Hirsbergensis pagi. Quod quidem Silesiæ aurum probe excoctum non inferius esse Hungarico metallicæ rei intelligentia præstantes testantur.

tur. Quin aurum quoque ipsum tale statim, qualè natiuæ venæ ferunt, alicubi eruitur: tenetq; fama è fodinis ad Zuckmantelam auri puri puti frusta multarum librarum sæpius fuisse Episcopis Vratislauiensibus allata. Cuius rei fidem si quis requirat, testem audiat omni exceptione maiorem, ipsummet Episcopum *Ioannem Turzonem*, ad magnum illum *Des. Erasmum Roterodamum*, sic scribentem: *Adiunxi præterea auri puri natiuiq; quatuor particulas siue ramenta, è subterraneis specubus adeoq; ex ipsis terræ visceribus in ditione meæ diœceseos, qualia vides nuper eruta: nempe vt auri viuax vis te immortalitate dignissimum declaret.* Sed & *Andrea* Præsule sedis Vratislauiensis gubernacula tenente binæ solidi auri massæ repertæ fuerunt, eæque tam ponderosæ, vt ad Rudolphum II. Imp. Augustum deferri meruerint: de quibus hic adtexere iuuat epigrammation *Sal. Frencelii* per illa tempora editum.

Esse quid, Andrea, dicam hoc, clarissime præsul,
Viscera tanta tuo nunc adoperta solo.
Exonerant auri insolito quæ pondere massas,
Cæsare digna sacro munera teq; simul.
Omen inest, Princeps O fortunate, secundum:
Astra illic faueant, hic tibi rastra fauent.

Quid? quod & fluuii quidam riuulique Silesiæ arenas cum auri ramentis impetu aquarum à venis abrasis (ῥήγματα Græci vocant) permistas alicubi prouoluunt, vt *Cattus, Boberus, Zacus, Isara Goldbach prope Gryphibergam, S. Georgenbach ad Hirsbergam*, prætereaque torrentes nonnulli in Lignicensi, Jaurauiensi, Suuidnicensi & Nissensi ducatibus: vbi hodieq; ramenta auri puri & optimi, vtpote cursu ipso triti atque perpoliti ab aurilegulis lauantur. In cuius sane rei fidem Illustrissimus Princeps Georgius Dux Bregensis subinde solitus gestare catenam ex auro fluuiali Silesiæ conflatam.

Argentariis celebrantur Silberberga, Bithonia, Tarnouitium, Reichensteinum, Gotsbergum, Dirmansdorffiũ haud

procul Suuidnicio, Smotsseiffen, Zischdorffium, Gabela pagus ad Landeshuttum, Jsaræ pratum, mons Gigantæus, & alia loca. *Aeris* venas olim Goldberga, hodie Cupferberga, Altstadium ducatus Nissensis, Zuckmantela, Gotsbergum, Gieren & Querbach ad Quissi fluuii fontes ostentant. *Plumbi candidi*, quod κασσιτερον Græci vocant, vnde Cassiterides insulæ, adparent venæ in subditorum tractu ad eosdem Quissi fontes veluti in Gieren, Querbach, Vlrichsdorff. *Plumbi nigri* Tarnouitium ferox, vbi ex terra flaua liquatur. *Ferrum* pluribus locis silueſtribus ingenti copia non sine vberrimo possessorum fructu & foditur: & ad id excoquendum atq; elaborandum magna vis lignorum quotannis absumitur. Sed quod in Silesia conflatur ferrum, non eiusdem vbique bonitatis. Palma datur Schmidebergensi, ex quo varia subtiliaq; fiunt opera. Quod ad Sagum opidum è pratis eruitur fossis ad altitudinem bipedancam actis (nec enim propter abundantiam aquarum altius agi possunt) decennio renatum denuo fodi non aliter ac Iluæ ferrum *Georgius Agricola* scribit de vet. & nou. metall. lib. 2. cap. 15. Sed & *Georgius Fabricius* obseruationum metallicarum cap. 8. auctor est, ferrum in Lusatia & Silesia effossum noua incrementa accipere, & terram arborumque truncos in illis incrementis materiam ferri acquirere, primum liquori cuidam denso similem, postea magis magisque indurescentem.

Stibium, (quod Antimonium officinæ vocant, cuius ad nigrore tingenda venustandaq; mulierum cilia peculiaris vsus, vnde Poeta Ion ὑμεναιόγελφον nominat, & D. Hieronymus orbes stibio fuliginatos) Altstadii excoquitur. *Chalcanthum siue vitriolum*, à perspicuitate vitrea vulgo sic dictum, (kupfferwasser hoc est, æris aquam Germani adpellant) in Gigantum valle, Schreiberau, Zuckmantela, Cupferberga in viridem lapideamque duritiem ex pyrite atramentoso decoquitur: Wolauiæ etiam cæruleum ex melanteria: Tarnouitii item ex scoriis plumbi: vt & lithargyrium. Ne quid hic de *lazurio*, *chrysocolla*, *auripigmento siue arsenico*, *minio*, *alumine*, *sulphure*, & similibus dicam fossilibus.

Latumiæ, in quibus lapides cæduntur ædificiis incolarum cum publicis tum priuatis struendis ornandisque idonei, satis frequentes. Sed & *marmor* quibusdam in locis eruitur: vt ad Zabothum montem marmor subcinereum maculis nigricantibus & albidis ex luteo viresccntibus variatum: marmor nigrum extra Laubam ad Quissum fl. itemque in pago Wise ad Gryphimontium. *Saxa calcaria*, ex quibus igne concoctis contusisque calx conficitur, muris consolidandis maximam vim habens, passim & fodiuntur: tum etiam *gypsus*, materia calci similis. *Lapidum lithanthracum* (quos vocabulo ex lapide & carbone compositio nominant Germani, quorum sermo non minus ac Græcus ad duplicanda verba facilis) magna ad Gotsbergum & Schetzlariam prope Boberi fontes & alibi copia: quibus quidem fabri ferrarii loco carbonum vtuntur, & ardentibus paullatim aquas, vt cæteris carbonibus, instillant, ne ignis eos cito consumat. Sed quoniam sua pinguedine ferrum inficiunt, ad subtiliora opera minus valent. Ad Freibergum opidulum ex fragmentis carbonum fossilium alias proiectis & inutilibus nouo inuento calx hodie vritur.

Cotes ad ferramenta exacuenda in latumiis Leobergæ, Goldbergæ, & Naumburgi ad Quissum exciduntur. Nec *vitriariæ* desunt fornaces & officinæ, in quibus assiduis artificum operis omnis generis vasa in varias species figurantur: sed vitrum Silesiacum siue sit ex natura, siue ex coctione minus purum & translucidum.

Ad Strigam ducatus Suuidnicensis opidum in fodinis montis acuti siue D. Georgii terra subrubra, per Ioannem Montanum Medicum primum reperta duras inter rupes erui-

eruitur, summaque diligentia in orbicularem formam, probatæ notæ sigillo impresso (vnde *sigillatam* vocant) præparatur, eiusdem coloris virtutisq; , cuius quæ Lemnia Medicis dicitur, raroq; in officinis habetur legitima. Sed tanti sunt clarissimi Medici & Poetæ cultissimi *Ioannis Posthii* in terræ huius laudem epigrammata, quæ hoc loco adscribantur.

I.

Quando hominum generi vita nil dulcius vsquam est,
Hanc quod custodit, languidulam aut reparat,
Quanti erit? hæc medicina tuo, Montane, reperta est
Ingenio in terræ visceribus penitis.
Aurea nimirum terra illa, Axungia solis
Dicta tibi, ipso auro carior & melior.
Namq; fugare venena, atrasq; euincere pestes,
Innumerisq; potest esse medela malis.
Quod nequeat fuluum præstare dolentibus aurum,
Quod nequeant rubri lucida dona maris.
Exclamare libet: Nostri O noua gloria secli
Montane, O medicæ nobilis artis honos.
Per te naturæ thesauri, arcanaq; tanta,
Hactenus in tenebris quæ latuere, patent.
Per te nostra auidis iam non Germania Turcis
Inuidet, ac vastæ gentibus Armeniæ.
Terram habeat iactetq; suam Vulcania Lemnos:
Montano melior terra reperta meo est.

II.

Quoscunque Antidotus sanat Mithridatica morbos,
Cunctaque laudatæ pharmaca Theriacæ,
Eosdem etiam pluresque adeo (si noueris vsum)
Curat mirandis hæc noua terra modis.
Gratia debetur Montano quanta! sagaci
Thesaurum hunc nobis qui eruit ingenio.

Hunc

Hunc imitare cohors medicæ studiosa cathedræ:
Quærenti tellus sideraque ipsa fauent.

In Ducatu Lignicensi sigillata etiam candida generatur, & ipsa non exigui in medicina vsus.

Plerisque locis ad Gubenam, Sommerfeldam, prope villam Massel in Trebnicensi districtu in monticulo, quem **den Toppelberg** vocant, ollas ecfodi aiunt, & aliarum figurarum vasa fictilia prope madida molliaq; , in aerem autem prolata indurescentia. Coniectantur autem homines eruditi olim sepulturas illic gentilium fuisse: qui cum vrnis carerent, ollas interim cum cinere, igne, fauilla & reliquis instrumentis ex rogo relictis in signum pietatis tumulo condiderunt, mediaque inhumarunt arena. Vnde longinquitate temporis factum, vt madente terra assiduo humore ollæ liquescant, & si parum caute eximas, non nisi lutum atque argillam retineas: sin cautius & diligentius rem agas, aeris siccitate indurescant, & naturam pristinam, qua à figulo formatæ retineant. Habet & hæc nostra regio lapillos pretiosos siue *gemmas*, quæ cum alibi tum ad ripas interque arenas torrentium & riuulorum è montibus precipitantium passim reperiuntur, & pulcerrimæ quidem in Isaræ prato, minori maxime ad Boiemiam iam spectante lauantur. Vnde poeta noster:

----------Fluit Isara Iaspide multo:
Isara, qui nostris quanquam sit montibus ortus,
Gemmiferam tamen amne vehens prædator arenam
Boiemum limphis ditat furacibus Albim.

Neque tamen Iaspis tantum Silesiæ nostræ: sed &, qui maximum Plinii testimonio inter gemmas pretium habet, *Adamas*: & quidem talis, qui expolitus, si Schuuenckfeldio fides, colore & nitore Indicis adeo respondet, vt vix nisi duritie discernere queas: *Achates* præterea multarum specierum: tum *aetites, amethystus, carbunculus, carniolus, crystallus, gemmahuia, hyacinthus, magnes, onychites, rubinus, sapphirus, sardonyx, topazius, turchesia:*

chesia: de quibus, vt & superius enumeratis aliisq; Silesiæ mineralibus, quem modo laudaui, V. Cl. *Gaspar Schvvenckfeldius* proprio huic rei libro: cuius accurata diligentia doctrinaque aliorum industriæ parum reliqui fecit. Sed & Quissi arenosa littora conchulas alunt, è quibus *Margaritæ*, siue vt cum Poeta loquar, baccæ concheæ eruuntur: quæ extra conchas etiam elegantissimæ ac pulcerrimæ in arena sæpe leguntur.

Sal fossitium seu natiuum Silesia non habet, nec flumina ac fontes gignendo sale fœcundos. Vtitur igitur aduentitio, ex vicina Polonia & Saxonia importato. Sed & curæ Imperatorum excrementum quoddam maris ad littora & scopulos appulsum (spuma arida maris Plinio, Græcis ἀλὸς ἄχνη, in Constitutionibus Regni Poloniæ sal grandinosus, vulgo autem Boy vocatur) ex Hispaniæ, Galliæ, Angliæ oris adfertur, & ad Oderæ fluenta in ducatu Glogouiensi, vbi magna lignorum copia, loco qui à sale vernacula linguæ Newsaltz nuncupatur, magno cum fœnore & fructu in sal humano vsui aptius salubriusq; conuertitur.

Halonitri plena multis in locis terra est: eius vero vsus ad compositionem pulueris, qui accensus missiles globos tormentorum siue bombardarum, quas vocant, extorques.

Feris omnis generis ad vsus & delicias hominum refertissima est Silesia: quibus ob id viuaria etiam dominicis habitationibus vicina passim posita videmus: cum vt conspectu suo clausa venatio possidentium oblectet oculos, tum vt exigente vsu epularum velut è cella promantur. Ex his quædam in cibum idoneæ, vt *cerui*, *apri*, *capreoli*, *lepores*, *cuniculi* quoque alicubi: quædam cibo fere inutiles conficiendis exornandisque vestibus pelles, pilosque subministrant, vt *lupi*, *vulpes*, *vrsi*, *mustelæ*, *hermellini*, *ictides*, *martes* siue *mardures*, *taxi*,

taxi, *sciuri*, *lutræ* item; & *Castores* siue fibri ἀμφίβια, hoc est, duplicis vitæ animalia. Figura illorum plane quadrupedum est, cauda vero piscium in modum tota squamosa, pedes posteriores anserum instar, vt facilius natare possint. Altera sui parte extra aquas, altera in aquis ferè versantur. Itaque circa ripas cubicula variis contignationibus aptissime contabulata & distincta construunt, ac pro aquæ vel incremento vel decremento domicilium mutant: ita vt cauda natante reliquum corpus in sicco maneat. Captura horum animalium in prædiorum traditionibus olim nominatim concedi solebat: quæ quidem frequens est ad ripas Viadri, Barthæ, Boberi: qui & inde nomen tulit. Bobri enim Slauis idem, quod Latinis Fiber, Germanis Biber.

Quadrupedum domesticorum, tum quæ in consortium operum vocantur, tum quæ cibi, voluptatis ac reditus & custodiæ caussa parantur, non infelix prouentus est: & si quis defectus, tam cumulate tamque liberali manu Polonia vicina suppeditat, vt vix vspiam maior sit ad fluentia.

Rei sane *pecuariæ* cum propter stercorationem agrorum (qua nisi humum fatiscentem subinde adiuues, & absumtas vires hoc quasi pabulo retoueas,

Heu frustra alterius magnos spectabis acernos.)

tum propter lacticinia præcipuum studium: quæ tam læta hic & copiosa, vt præter ea, quæ in quotidianum alimentum, quo vix alio bona tenuioris fortunæ hominum pars vtitur, cedunt, in vicina loca plurimum quotannis magno cum incolarum commodo transmittatur: multæq; familiæ, etiam nobiles, inde ditescant.

Ouium inprimis numerosi vbique greges propter vtilitatis magnitudinem ex *lana*, *pellibus*, *carne*, *lacte*, *caseolis*: qui non solum agrestes saturant, sed etiam elegantiorum mensas iucundis dapibus exornant: non dubitantib. quibusdã cum

Parmensibus aut Hollandicis saporis suauitate hos nostros conferre: nisi luxuria per improbam lasciuiam, paratis ac facilibus fastiditis, exoticis inhiaret deliciis.

Volatilium quoque omni genere patria nostra abundat. Præter cohortales autem & villaticas, *anseres*, puta, *anates, columbas, pauones, gallinas domesticas pariter & Meleagrides*, quas nostri Indicas & Calecutenses adpellant, ad aucupia inuitant, mensamq; preciosis epulis opulentant *anates feræ*, quarum plurima ob piscinarum, lacuum & fluuiorum frequentiam genera, *attagenes siue bonosæ, perdices, scolopaces*, quas Plinius rusticulas, Martialis rusticas perdices, nostri Sneppas vocant, *gallinæ montanæ, vrogalli, fulicæ, glareolæ siue gallinulæ palustres*, quarum plures item species, *anseres feri, otides* (Trap-ganzæ vulgo) *columbæ montanæ, palumbi, turtures, grues, phasiani, coturnices, sturni, merulæ*, & qui prima inter aues gloria, *turdi*. Atque vt de rapacibus illis alitibus, *aquilis, accipitribus, falconibus, miluis, ardeis, onocrotalis, bubonibus, noctuis*, & mille aliis nihil dicam: minorum quoque auicularum ingens est copia, vt *luscinarum, alaudarum, carduelium, ficedularum, rubecularum, rubicillarum, regulorum, parorum, galbularum, fringillarum, bombycillorum, luteolarum, coruirostrorum, embyrizarum, &c.* quę partim in cibis palata nostra instruunt, partim aures suauissimis ac diuersissimis recreant cantibus.

Inter insectorum animalia Principatus *apibus*: quarum permagna est in Silesia copia, cum in villis & hortis, tum in siluis, nec solum in aluearijs manu factis, sed in arborum etiã truncis, de floribus herbisq; dulcibus in varios hominum tam in cibis mundioribus, quam in remedijs vsus mellificantium. vnde apiarijs ingens sæpe quæstus exiguo labore venit. Illud hic obiter annoto, quod ante non multos annos in Oppoliẽsi Silesiæ ducatu nobili cuidam fœminæ accidit. Apum nimirum examen, animalculorum alioqui mundiciei tam studiosorum in naturam eius incertum, quo casu sese immisit: cumq; misellam punctionibus, vt credibile est, tantum non enecaret, non

non nisi rege extracto, inde expelli potuit. Res quo magis mira, eo minus fidei habitura, nisi certissimis veritatis testimoniis niteretur, quam ob id consignare literis, atq; ad posteros transmittere minime dubitaui.

CAPVT TERTIVM.

Fluuii Silesiæ: lacus: piscinæ: piscium genera: thermæ.

FLuuijs Silesia irrigatur quamplurimis: quorum pauci quidem ratium patientes, pleriq; tamen lectissimorum piscium copia ac varietate celebres, tum molas & machinas frumentis frangendis, lignis secandis, chartis conficiendis, subigendis eluendisque pannis versant innumeras. Inter eos autem primo loco iure merito censetur Odera siue Viadrus (die Oder) tum quod magnitudine sua præ reliquis conspicuus, tum quod inter Germaniam ac Poloniam limes olim habitus. Vnde *Guntherus* lib. 6. Ligurin.

------*Peruenit ad vsque,*
Odera Germanos quà separat atque Polonos.

Et *Philippus Melanchthon* in Epigram.

Rhenus ab occasu, Viadri sed flumen ab ortu,
Clauserunt fines, Teutona terra, tuos.
Aeriaq; Alpes immotum limes ad Austrum,
Balthicus ad Boream terminat Oceanus.

Qui Sueuum cum Viadro eundem faciunt, nihil aliud consequuntur, quàm vt ludibrium debeant: cum Sueuus is sit fluuius, qui hodie die Spre dicitur, oriturq; in montibus Sudetis duobus supra Budissinam milliaribus, & Lusatiam Marchiæq; partem emensus cursu à Septentrione in Occasum reflexo Hauelo ad opidum Marchiæ Spordam aquas suas communi-

cat. quod argumentis demonstrare facile est & in procliui. Sed longe maiori errore *Althamerus* & Cosmographorum nostri temporis Princeps *Ortelius* Guttalum cum Odera confundunt. Guttalus siquidem is fluuius, qui Cunigsbergam, præterlabens Venedico sinui infunditur, & postrema nominis parte nihil dum saucia, sed plane integra hodieque Alditur. Oritur autem hic Silesiacarum aquarum regnator non procul à vico cognomine, Oder, in confinio Morauiæ & Silesiæ, & per hanc, perque Marchiam inde ac Pomeraniam vlteriorem permeans infra Stetinum, auctior aquis factus, nomine vbique suo, in Venedicum Sinum irrumpit. Currens Ostram, Elsam, Oppam, Nissam vtrumque, Olam, Stobram, Weidam, Bartham, Boberum, aliaque minora flumina in se recipit atq; exhaurit: & Oderbergã, Ratiboriã, Coslã, Oppoliam, Bregã, Vratislauiam, Leubusium, Stinauiam, Kobenam, Glogouiam, Beuthenam, Crosnam, Francofurtum, Grippenhagen & Stetinum vrbes opidaque non ignobilia præterfluit: agris vicinis non inutilis, & piscosus affatim: sed vbi vel largiori imbre, vel solutis niuibus intumuit, late per adiacentes campos

Sternit agros, sternit sata læta boumq; labores,
Præcipitesq; trahit siluas.-------

Post Viadrum præcipui sunt, qui sequuntur.

Boberus, Bober/ Slauis castorem sonans, vt notat Ditmarus in sua historia, quod ad eius ripas frequenter capiatur: nascitur iuxta Schetzlariam, quæ est sub ditione Hermanni Zettericii Assessoris in Suidnicensi & Iauoriensi ducatibus, supra cognominem sui vicum Bober: & Landishuttum, Cupferbergam, Hirsbergam, Lebnum, Leobergam, Boleslauiam, Sprottam, Saganum, Naumburgum opida delapsus, ad Crosnam fluuiorum conuenarum auxilio auctus Viadro immergitur.

Zacus, der Zack/ Slauis Zakako/ id est, riuulorum constillatio,

latio, ex Sudetis montibus originem trahens, multis stipatus riuulis thermis Hirsbergensibus visis ad Hirsbergam ipsam Bobero se immiscet. Fluuius piscosus, & trutis præcipue optimis fœcundus.

Quissus, der Queiß / limes Silesiæ Lusatiam versus in montanis supra Gieren pagum venis plumbi candidi celebrem erumpens Fridebergam, Gryphimontinum, Laubanum, Naumburgum opida attingit, & prope Saganum Bobero inseritur.

Cattus, die Katzbach / initium sumit ad pagum Ketschdorff/ & Schœnouia, Goldberga, Lignicio, Parchuuicio lustratis inde Viadro aquas committit suas. Clarus iam olim ob auriferas arenas, quo nomine χρυσορρόας haud immerito adpellari queat: sed qui & ipse subinde vel hibernis niuibus vel tempestatibus auctus ad insaniam vsq; excrescit, extraq; ripas

Fertur in arua furens cumulo, camposq; per omnes
Cum stabulis armenta trahit.------

Anno quidem cIↃIↃc IIX. 4. Non. Iunii prodigiosa inundatione ita excreuit, vt hortis & agris fœdum in modum deuastatis, hydromylis, horreis, casis aliisq; ædificiis quamplurimis quassatis non modo innumera iumentorum ac pecudum multitudo perierit, sed & hominum ingens numerus tristissima morte vitam finierit. Goldbergensium sane duo & quadraginta desideratos fuisse, iisq; si annumerentur, qui in vicinia perierunt, summam confici centum viginti sex, *Danielis Vechneri* testatur oratio de insolita illa & inaudita Catti eluuione in gymnasio Aurimontano habita.

Nissa, die Neiß / è Lusatia promanans Pribusium, Sorauiam, Muscam, Sommerfeldam, Gubenam attingit: inde Viadrum ingreditur.

Est & alius eiusdem nominis fluuius, qui è Comitatu Glocensi erumpens Wartham, Reichensteinam, Nissam, Le-

vvinum

vvinum alluit, & prope Schurgastum Viadro commiscetur.

Bartha, die Bartsch / Barusius auctor, magni Chronici Noribergensis, fluuius amœnus, limpidissimis aquis ripas herbidas lambens, & lucios pisces magna copia fundens Trachenbergam, Hernstadium præterfluit, & sub Glogouiam prope pagum Schwusen in Viadrum fertur.

VVeida, die Weyde/ fortasse à salicibus, quæ ad eius ripas fœcundius nascuntur, Cromero Vidaua, fluuius bonis & ipse piscibus nobilitatus, VVartenbergam, Namslauiam, Bernstadium, campos Caninos præterfluit, & duobus fere à Vratislauia milliaribus in Viadrum deuoluitur.

Oppa, oritur in montibus Morauis, auffm Gesenck / & Carnouiam atque Oppauiam, vbi ei miscetur Marus, siue Mora, fluens prope Hilschinum opidum Oderam subintrat.

Ola, siue Olaua, die Olaw/ ad Monsterbergam oritur, & Henrichouiam, Strelam, VVansenam, Olauiam præterit: Vratislauiam intermeat: inde Viadro sociales vndas defert.

Alia minorum gentium flumina Oupam, Isaram, Prudnicam, Bielam, Ostram, Steinam, Stobram, Brincium, Blotnisum, Malpondam, Laam, &c. ne breuitatis propositæ fines migrem prætereo: non item Vistulam, die Weichsel / dominum & decus omnium eorum amnium, qui Boream versus per Sarmatiam feruntur. Plinius alio nomine Vistillam, alii Istulam vocant: eoque amne pręter Solinum plerique alii Germaniã finiunt: qui tametsi Poloniæ proprius, originem tamen suam patriæ nostræ debet, ob id vel solum hoc loco nominandus. Exoritur autem in ducatu Teschinensi è montibus Sarmaticis, & versus Boream primum Skotzouiam, indeque in ditionem Plessensem, mox versus Orientem cursu directo Osuuencinum, Zatoriam, Cracouiam, Cazimiriam, Sendomiriam, ad suos & Sani confluentes defertur: hinc rursus in Septemtrionem flexus VVarsauiam, Ploscum, Vladislauiam, Toruniam, Culmam, Grudentum, Marięvverder, Meuam, Mariæburgum, Dersauiam alluens, receptis amplius 14. magnis fluminibus apud Gedanum vrbem Borussiæ nobilissimam & emporium toto illo Septemtrionali tractu celeberrimum in mare Sarmaticum siue Balthicum exoneratur.

Lacus in Silesia non pauci: iique ambitu & amœnitate spectabiles, quorum piscatu nihil aut iucundius aut fructuosius. Inter eos non postremi loci Cunicensis, Slauacensis, Culmensis, Breuningensis, Svvibocensis Nastich dictus, & alii, quorum nec numerum, nec adpellationes cum certa fide referre possum. Gigantæo monti lacus adiacent bini: quorum maior occiduus, montibus à meridie altissimis perpetuaque niue rigentibus, ex parte autem septentrionali scopulis minus altis circumdatur. Aqua ipsa nigricat dira & ferruginea facie, immensæ profunditatis: nullos alit pisces, nec aliud quidquam viuens. Minor orientalior & depressior, in quem multæ aquæ ex montibus decurrentes ingrediuntur. Trutis abundat maximis, nigricantibus prorsus, sed optimi saporis ac probi succi.

Piscinę insuper arte manuq; factæ, iis præsertim in locis, vbi propter exilitatem soli fructus terra percipi non possunt, permultæ & tam grandes, vt veterum piscinæ ad istas comparatæ nugæ videantur & imagines muscarum. Incredibile est, quantam pecuniæ vim ex illis possessores sibi corrogent: quæ quidem caussa est, cur nec viros nobiles, honoratos & copiosos operi piscinario interuenire pudeat, neque minorem illi percipiant animo voluptatem, cum feras insectando iaculis configunt, aut immissis canibus comprehendunt, quàm cum retia trahentes squamosas pecudes & natantium omne genus in ripas captiuum educunt. Scribit sane Iohannes Dubrauius in libello de piscinis, incidisse se in Silesia in quemdam huius regionis Principem, more piscatorum cruribus ocreatum, cum casu iter per aggerem piscinæ faceret,

audiuisseq; habitum hunc piscatoris simulq; piscatum talibus propemodum verbis excusantem: *Si Principi venatio lepusculi non est inhonesta, nescio quamobrem piscatio Cyprinorum & luciorum videri debeat pudenda pœnitendaq;.*

Piscium porro, quos Silesię alunt aquæ, genera Opsophagus aliquis (hoc enim nomine insigniti olim, qui piscibus delectarētur) quam ego melius tibi commemorauerit: & in iis præcipue *lupos* siue *lucios*, *Carpiones* siue *Cyprinos* (qui quidem in piscinis longe frequentiores proueniunt, in quas paruuli seminariis exemti cum incrementi tum saginæ causa studiose includuntur) *percas, luciopercas, prassios* siue *bramas, carassios, cirtas* siue *certas, erythrophthalmos, alosas, thymallos, siluros, nasos, mustelas* siue *lacertos, capitones, albiculos, alburnos, squalos, spinachias, & virides, vulgi solatia, tincas: tum mensarum delicias trutas* siue *fariones auratas* ue, *salares, anguillas, mullos* siue *barbos, gobiones, fundulos*, & alios complures, quorum nomina in meam notitiam nondum peruenerunt. *Murænæ*, quas Poloni suluizas & sulares vocant, in lacu Swibocensi, qui Marchiæ fines attingit, capiuntur. *Salmones & sturiones*, quos Acipenseres antiqui dixerunt, tantique fieri deliciæ iusserunt, vt in mensam inferrent coronati cum cantu tibiæ, cum aqua limpida & arenosis vadis præcipue lætentur, è mari Pomeranico in Oderam statis anni temporibus penetrant, & obstacula transilientes circa Beuthenam, Glogouiam, Stinauiam, & Vratislauiam insidiosis capsis collocatis capiuntur. Neque hic omisero, quod mirum omnibus visum, in piscina quadam Baronatus Trachenbergensis ante annos haud ita multos repertum fuisse lucium albidi coloris, longitudine cubiti vnius & semissis, pinnis, notis, maculisque per corpus rubentibus: qui quidem sæpe captus & iterum atque iterum in piscinas iniectus nunquam colorem mutauit. Sed nec prætereundū, irroborasse paullatim inueterasseq; opinionem, libero olim piscatu amnes Silesiæ multo piscium extitisse

tisse feraciores, quam ex quo tempore promiscua illa piscandi facultas vulgo adempta. Qua de re solens suo more, id est, per quam eleganter Fr. Faber in Sabotho:

Vestra nec illaudata velim sapidissima nantum
Agmina, gratuito permissa prioribus annis
Libera piscatu: nam quaq; infraq; supraq;
Vel tenues riuos, aut, flumina iusta, perennes
Voluitis haud interdicto communibus hamis
Gurgite, squamigerum vulgo genus omne dedistis
Expositum prædæ: nec cuiquam copia fraudi
Capturæ vberior fuit vsurpata, sed inter
Libertas stetit illa suas non inuida leges:
Atq; statas habuit metas tempusq; diesq;.
Nil minus hæc inopi concessa licentia plebi
Fouit inexhausti crescentia semina fœtus,
Vulgaremq; auxit Domini benedictio prædam.
Durius occlusos vetitosq; seuerius amnes
Destituit velut execrata piacula piscis.

Astaci siue *cammari* magna vbique copia capiuntur: præcipue vero prægrandes & suaues educat VVeida fluuius.

Fontes aquæ viuæ & salientis in montibus, vallibus, opidis, pagis, priuatis ædificiis innumerabiles: nec desunt etiam *calidarum aquarum* salubres & vberrimæ scaturigines: quæ cum non exiguum sint naturæ clementis munus, silentio prætereundas haud duco. Cum ergo multis in locis terra opertos ignes tegat, quibus iuge pabulum alumen, sulphur, bitumen, & huiusmodi alia præbent, vnde Poeta:

Siue bitumineæ rapiunt incendia vires,
Luteaue exiguis ardescunt sulphura fumis:

sit vt eorum ardore incalescens tellus feruidum vaporem

in superiora emittat loca: quo offensi vicini fontes efferuescunt inter venas suas, atque ita profluunt calidi: incorrupto interdum sapore, si remotior ab ignis pabulo fontium ortus. Quod si vero per ipsa loca sulphure aliaue materia plena fluant aquæ, non calorem modo illius contactu, sed & saporem atque odorem contrahunt. Huiusmodi fontes duo parui milliaris itinere ab opido Hirsberga in pago, qui Warmbrunn dicitur, (nos *ad aquas Silesiacas* veterum consuetudine vocare possumus, quibus moris fuit huiusmodi loca, in quibus calidi fontes sunt aquarum nomine adpellare) haud magno interuallo ab se inuicem distantes calidis aquis ebulliunt: quos variis corporum morbis curandis efficacissimos esse, multis experimentis cognitum est, & adhuc indies magis ac magis cognoscitur, quam plurimis vtriusq; sexus mortalibus variis ex locis valetudinis curandę gratia eo confluentibus. Prior, qui ligneo pariete & asserib. continetur, vulgo adpellatur ligneũ lauacrum, & quia pauperi plebeculæ destinatum est, omnibusq; patet, lauacrum egenorum. Alter, qui lapidibus quadratis foris circundatus est, interius vero asseribus cinctus, lapideum balneum dicitur: in quo iis lauare conceditur, qui non sunt de infima plebe. Ligneæ thermæ ex argilla seu cœno lento, pingui, copioso, arena, & glarea permixtis, sensim promanant. Moderati sunt caloris: plurimum sulphureæ: atq; adeo mediocriter calefaciunt, exiccant valde, ex alto trahunt, discutiunt, ad vlcera κοιλα & diuturna valde efficaces. Præterea cachecticis & omnibus aliis, quibus totum corpus vel pars aliqua exiccatione & calefactione indiget, apprime vtiles. Thermæ lapideæ seu diuitum ex saxo durissimo excauato prosiliunt. Aqua vltra primum gradum calida, sulphurea, sed minus quàm illa, quæ in fonte ligneo: vim præterea habens aluminosam & ferream. Odor etiam bituminis aliquid inesse arguit, & cinerem insuper secum vehit. Bituminis igitur & sulphuris ratione emollit & discutit, etiam tendones

tendones scirrhosos. Ob alumen vero & ferrum adstringit & corroborat. Itaque propter mixturam prædictorum partim resoluit, partim vim ac robur membris adiicit, & meatus coarctat. Vnde fit, vt qui fluxionibus obnoxii sunt, ad has potissimum thermas se conferre soleant. Quanquam aduersus alios etiam omnis generis diuturnos ac pene desperatos morbos efficacissimas esse Medicorum filii consentienter tradunt, & inter eos πολλῶν αἰτιῶν ἄκων, *Casp. Schuuenckfeldius*: cuius commentarium eruditissimum lingua vernacula de horum fontium vsu ac virtute conscriptum, qui plura cognoscere cupit, legat. Morbo Gallico tamen laborans frustra est, vt hinc salutem speret: neque enim hac lue infectos thermæ nostræ tolerant, vt nec leprosos, hydropicos, asthmaticos. Gulosos quoque plus lædunt quàm iuuant: oculis nocent, item epilepticis. Sed & lauandi magis quam potandi gratia ad has thermas itur: idque potissimum in Maii medio, & frequentius Iunio mense. Quibus vero verno tempore non licet, ii Augusto & Septembri se ad eas conferunt. Tempus balnei pro cuiusque natura & viribus ac modo operationis mensuratur: nec enim fas est de omnibus pariter statuere, cũ impares sint plerique. Solent tamen magna ex parte centum horas balneis impendere, sed ita determinatas, vt primis diebus paullatim ascendant, sequentibus in statu perseuerent, postremis numerum deminuant, & ad principium redeant. Ponamus in horis senarium numerum fore summum, vltra quem vix est vt progrediantur: tum vero horas ita distribuũt: vt per biduum singulis diebus insideant hora vna, sequenti biduo moræ horam adiiciant dimidiam, tum ordine procedant ad duas, tres, quattuor, quinque, sex horas: quoque diutius lauare constituerunt, eo pluribus diebus sex horis lauent: non tamen vno eodemque insessũ continuandis, sed iuxta temporis antemeridiani & pomeridiani partitionem intercidendis. Postquam officio suo satisfeciisse videntur thermæ, tum ordi-

ne retrogrado quotidie de mora detrahitur, & iisdem gradibus horæ balnei diminuuntur, quibus antea augebantur. Vulgarium opinio est, tam diu lauandum, donec cutis adpareant pustulæ, & efflorescentiæ rubræ, **biß es außschlegt.** Refrigeratæ aquæ vis imminuitur: sicut nec transportata eam habet, quam in propria scaturigine δύναμιν. Adauget harum thermarum præstantiam natiua loci amœnitas: quippe quæ sitæ sunt intra Sudetos ad Zacum fluuium elegantissima planicie, haud ita magna, & ex omni fere parte montibus collibusque obuallata.

CAPVT QVARTVM.

Vrbes, arces, monasteria & pagi Silesiæ.

VRbibus & Opidis Silesia hodie satis frequens est & exculta: è quibus quidem pleraque cum portis turribusque insignia, & mœnibus fossisque cincta, tum silicata siue lapidibus strata, ædificia quoque ex lapidibus & laterculis coctis elegantius constructa, nec non arces bene validas & munitas adiunctas habent: nonnulla vero nullis mœnibus circumdata, nec nisi ligneis ædificiis, templis exceptis castrisque adiunctis. Ordinem autem & elegantiam vrbium partim Episcopis debemus, quorum multi cum Itali essent, architectos secum adduxerunt aut euocarunt, qui nouam & commodiorem rationem hominibus omnis cultus atque elegantię ignaris præscriberent, partim vero Germanis subinde siue accitis siue vltro venientibus: quorum inprimis cura & opera vt reliqua Polonia, ita Silesia quoque minus tum culta minusque populosa frequentari, & cultior esse pagis atque opidis cœpit. Germanorum enim hæc laus est, vt quocunque

que eos tamquam in colonias deducat exteris gentibus propitia sors, humanitatis cultum, industriæ æmulationem, omnesque adeo artes, quibus vita hominum perpolitur, secum inuehant. Metropolis gentis est VRATISLAVIA, vulgo **Breßlaw**/ totius Silesiæ epitome, & quasi vmbilicus ac meditullium prouinciæ, tantum reliquas inter ciuitates eminens, quantum, vt ait ille, inter viburna cupressi: & ob id non solum ὀμφαλὸν, quomodo Delphos olim ὀμφαλὸν γῆς dixere, sed & ὀφθαλμὸν Silesię iure meritissimo eam adpellare, quodq; de Baiis Martialis hoc mihi de Vratislauia audacter citraq; inuidiam vsurpare liceat:

Vt mille laudem Flacce versibus Breslam,
Laudabo digne non tamen satis Breslam.

Nolo hic loci figillatim persequi omnia nobilissimæ vrbis ornamenta, ne caput istud nimis excrescat: sed dabitur hoc à me ipsius gloriæ, vt quę sunt illustriora, ac de ea memoratu maxime digna, peculiari scripto complectar. Nunc reliquarum vrbium & opidorum, quæ fama celebriora sunt, indicem quendam velutiq; Noticiam adscribam: sed tantũ indicem dico, eumq; ordine litterario dispositum: donec forte aliquando pleniorem descriptionem exhibere liceat.

AVRASIVM, **Auraß**/ opidulum nullis mœnib. circumdatum, vici duntaxat vicem repræsentans cum Burgo Oderæ fl. adsitum.

BENISCHOVIA, **Benischaw**/ opidum in agro Oppauiensi cum arce pulchra.

BENSCHA, **Benſche**/ opidulum immœnitum ditionis Segerndorffensis.

BERNSTADIVM, **Bernſtad**/ Beriltouia Cromero & Berolthouia, nonnullis Berolstadium, opidum ad Weidam fl. cum arce, quod miserabili incendio paucis ab hinc annis funditus fere deletum ciues sensim restituunt.

BEV-

BEVTHENA seu BYTHONIA, Beuthen/ opidum in Sileſiæ & Poloniæ confinibus ad radices Carpathi ſitum, vetuſtis argenti fodinis clarum.

Eſt & Ducatui Glogouienſi ſua Bythonia, opidum cum arce Oderæ impoſitum, Dominorum Schonaichiorum peculium, ſitu, amœnitate, ſtudiisq; hac tempeſtate celebre. Bethaniam Curæus adpellat.

BICINA, Bitſchen/ opidum iuxta Sileſię & Poloniæ collimitium, à iuriſdictione Ducum Bregenſium pendens: hoc æuo nullare notius, quàm ob cladem A. C. 1588. ibi à Polonis acceptam. Opidum quippe direptum eſt & exuſtum: ciues crudeliſſime tractati: multi trucidati, plurimiq; in acerbiſſimam ſeruitutem à Tataris abducti.

BILICIVM, Bilitz/ munitum atque amœnum opidum, cum arce non inelegante neque inualida ad cognominem fluuium Bilam, cuius dynaſta ex illuſtri Sonnecciorum familia.

BOLESLAVIA, Bunzlaw/ vrbs non ignobilis ad Boberum fl. ſitu commodo & amœno, ad nemora quippe & porrecta camporum æquora floridis & irriguis diſtincta pratis, aeris ſalubritate, fontium perennium & egelidorum frequentia, ſoli egregia fœcunditate paucis ſecunda.

BRALINVM, Bralin/ opidum Baronatus Wartenbergenſis.

BREGA, Brieg/ Crom. Bregum, vrbs ducatus ſui metropolis & præcipuis, quæ in Sileſia ſunt, connumeranda. Poſita eſt loco amœniſſimo ad Viadri ripam: plateis, templis, turribus, aliisq; ædificiis quà publicis quà priuatis admodum venuſta: tum vero magnifico Principum ſuorum palatio ſuperba. Prȩcipuum illi decus & ornamentum ex gymnaſio illuſtri, quod omnium artium & diſciplinarum ſtudio hactenus fuit florentiſſimum.

BVLCONIS FANVM, Buſchenhayn/ opidum anguſtum, ſed

ſed non inamœnum. Cui imminet caſtrum in colle ſummo, loco admodum edito collocatum, quod à Bulcone Duce & extructum eſt & cognominatum, à Ladislao autem Zedlicio L. B. Commendatore Strigouienſi, cui ſedem præbet, ſuperioribus annis egregie inſtauratum.

CANTIVM, Kant/ Iuris Epiſcopalis opidum in fertili ſolo ſitum.

CONSTADIVM, Kunſtadt/ Crom. Cunceſtadia, opidulum ad Stobram fl. Poſedevvskiorum.

COSLA, Koſel/ Crom. Cozle, opidum mediocris conditionis, ſupra Oderam ſitum, ducatus olim titulo clarum. Arcem habet non inelegantem, paruitq; hactenus illuſtri Oppersdorfiorum familiæ.

CRAPPICIVM, Krappitz/ opidum mœnitum ducatus Oppolienſis ad Prudnicæ & Oderæ confluentem, cum arce Rederorum.

CREVZBERGA ſiue CRVCIBVRGVM, Creutzburg/ Principum Bregenſium opidum ad fontes fluuioli Brincii haud procul Roſenberga.

CROSNA, Croßen/ vrbs vetuſta Sileſiæ extrema Marchiam verſus, vbi Boberus Viadro commiſcetur, Ducatus nomine memorabilis ſub iuriſdictione & dominio Marchionum Brandeburgenſium: quibus vna cum Zulichio, Sommerfelda & Bobersberga oppignorata, nec conſtituto poſtea tempore liberata fuit. Ex iis autem conſentiente Ferdinando Rege Boiemiæ primus Ducem Croſnę ſe ſcripſit Ioachimus II. Elector, Ioannis Sigiſmundi, qui nunc rerum potitur, proauus. Agri vicini generoſum vinum proferunt.

CVPFERBERGA, Kupferberg/ quaſi æris mons, opidulum metallicum antiquitate non incelebre, intra Riphæos montes ad Boberum fl. æraria ſectura ante multos annos notum, & vbi adeo vltra ſeptuaginta officinas, in quibus æs fuit excoctum in valle, quæ à ſcoriis nomen retinuit, der Schlacken-

grunbt/extitisse,idque ingentia scoriarum agmina ad Boberum coniecta etiamnum demonstrare, cum hodie vnica tantum supersit,Schwenckfeldius testatur.

DOBRODIN, vulgo DOBRIZIN, Germ. Guttentag/ Oppolienſis agri opidum: Sarotzkiorum nobilium peculium.

ENGELSBERGA,Engelsberg/ opidum metallicum immœnitum ad radices montium Morauiam à Sileſia ſeparantium,am Geſencke/ Dominorum de Freudenthal.

FALCOBERGA,Falckenberg/opidum ad Steinam fl.non obſcuri nominis, Ducatus olim titulo inſigne : Wighardo Promnicio Baroni hodie parens , cum ante Pickleriis fuiſſet ſubiectum.

FESTENBERGA,Feſtenberg/opidulum Ducatus Olſnenſis.

FRANCOSTEINA ſiue Franckenſteinum, Franckſtein/ opidum hac tempeſtate non inglorium ſatisque copioſum, Steinæ fluuio impoſitum,& aree præditum.

FREIBERGA,Freiberg/opidulum ducatus Swidnicenſis ad radicem arcis Furſtenſteini,caſtelli antiqui & nobilis à Bulcone Duce extructi. Hodie nobiliſſ. Hohbergiorum familiæ poſſeſſio. Eodem nomine aliud etiam opidum cenſetur in agro Teſchinenſi duobus à Fridecca milliaribus.

FREVDENTHALA,Frewdenthal/quaſi gaudiorum vallem dicas,opidum,quod nomen arguit, in valle amœniſsima ſitum,& arce eleganti conſpicuum, Baronum de Wirbna imperium ferens.

FREISTADIVM, Freyſtadt/ Eleutheropolis , opidum Ducatus Glogouienſis amœnum & elegans, grati aeris , depreſſiori ſitu poſitum, planiciem nemoroſis fere collibus obuallantibus,prę terquam ad Aquilonem ortui ſolſtitiali proximum. Linearum telarum texendarum gloria cęteris territorii illius opidis præcellit.

Eſt &

Eſt & cognomine opidulum in agro Teſchinenſi mœnitum & arcipotens,textoribus telarum linearum & ipſum frequens , dynaſtas habens ex generoſa Ziganorum familia.

FREIWALDA , Freywalde / opidulum montanum ſine mœnibus,antiſtitem Vratislauienſem ex Martini Epiſcopi legato agnoſcens dominum.

FREIHANVM,Freihan / opidulum Baronatus Milicenſis.

FRIDELANDVM,Fridland/ opidulum immœnitum ad Steinam fl.

FRIDEBERGA, Friedberg / opidum montana verſus Quiſſo fluuio annexum, Gottſchiorum dominii. Cui cognomine opidulum aliud Freibergæ vicinum.

FRIDECCA,Frideck/opidum ad Oſtram fl. dynaſtiæ titulo clarum.

GLOGOVIA MAIOR, Groß Glogaw/ vrbs ducatus ſui caput,quæq; antiquitate,quam inter primas laudes ſibi vindicant opida, omnibus fere Sileſiæ ciuitatibus auſit ſe anteferre: Collegio præterea Canonicorum ſpectabilis, habitatoribus ſatis frequens, egregie munita, commodiſſimoque & affluenti rerum neceſſariarum copia loco Oderæ fluuio adpoſita. Agri ſuburbicarii frumentorum ſatis fertiles , & paſcua admodum læta : reique pecuariæ adeo inſignia ibi ſtudia.

GLOGOVIA MINOR, Ober oder Klein Glogaw / opidum Ducatus Oppolienſis non magnum , ſed pulchrum & amœnum cum egregia arce , in pinguiſſimo fertiliſſimoque tractu ſitum ſub dominio Illuſtris Oppersdorfiorum familiæ.

GLYWICIVM, Gleywitz/opidum mœnitum neque incelebre eiuſdem Ducatus. Glyvvicenſis Ducis apud Cromerum & alios mentio.

GOLDBERGA, Goldberg/ Aurimontium, opidum loci amœnitate cœlique clementia beatum, at multo magis optimarum disciplinarum sede. Cattum amnem ob auriferas arenas clarum præterlabentem prospectat in conualle longe iucundissima, quę agrorum fertilitate, hortorum amœnitate, pascuorum vbertate, salictorum denique ad vtramque ripam suauissima vmbra nulli secunda. Auri fodinis claruit circa A. C. 1200. tam fœcundis, vt septimo quoque die 150. libras auri dedisse legantur: è quibus vna libra, siue vt quidam volunt, 80. aurei Rhenani Senatui vrbano cesserunt. Henricus Pius Silesiæ Dux, cum congrederetur cum Tataris ex Asia per Poloniam in Silesiam irruentibus, quingentos metallicos Goldbergenses sub signis habuit. Cœnobium à D. Heduuige A. C. 1212. isthic exstructum auorum memoria in scholam illustrem commutatum est. Non omittere possum elegans epigramma Poetæ cuiusdam recentioris.

Nomina Goldbergæ fecit mons aureus olim:
Hic auri locuples nam q; fodina fuit.
Nunc aurum desit. Sed cur Goldberga vocatur?
Plectra quod hic resonent aurea Pieridum.

GORTZOBA, Oppolienſis ducatus opidulum.

GOTZBERGVM, Gottsberg / opidulum ditionis Holibergiorum metallicum, argenti, æris, plumbi nigri metallis nitens: inprimis vero carbone fossili abundans, qui plurimus à fabris ferrariis vicinis, vbi ligna desunt, aliunde deuehitur.

GVRA, Guraw/ Crom. Gora, opidum limitaneum editiori loco omnibus que ventis, præsertim Aquilonibus expositum: frumentario foro celeberrimum. Magna enim vis frumenti singulis septimanis huc conuehitur, idq; propter situs opportunitatem ad Poloniam.

GREIFFENBERGA, Gryphimons, Greiffenberg / opidum non ignobile ad Quissi fluenta situm, cui famam conciliant, quæ diligentissime illic excoluntur linificia. Vnde ingens

gens mercimoniorum commoditas, & luculentum incolis lucrum. A. C. 1603. a. d. 20. Maii ex improuiso subortis ignibus totum in cineres redactum fuit.

GROTCOVIA, Grotka/ opidum haud incelebre, in læta situm planicie. Episcopo Vratislauiensi parere cœpit iam inde à Precislai Pogarelli Episcopi temporibus: qui eam cum vniuerso districtu à Boleslao Lignicensium & Bregensium duce emit, & Ecclesiæ Vratislauiensi coniunxit.

GRVNBERGA, Grünberg / Prasiæ Silesiorum, opidum recens in valle perquam amœna situm. Ager vineis, aruis, pascuisq; lętissimus.

GVBENA, Guben/ opidum ad Nissæ & Oderæ confluentem. Colles in agro suburbicario vini feraces.

HAINOVIA, Hain / opidum mœnitum ducatus Lignicensis, ad Cattum fl. arce præditum.

HERNSTADIVM, Hernstadt/ opidum in amœnissima Borussii ripa situm cum arce Ducum Lygio- Bregensium splendida.

HILSCHINVM, Hiltschin / opidum mœnitum cum arce pulchra, vbi Oppa Oderæ iungitur.

HIRSBERGA, Hirschberg/ Ceruimontium, à ceruorum venatu sic dictum, opidum non spaciosum quidem, verum hominibus & incolis frequens, & artificiis lini elegantioribus celebre, ad confluentem Zazi & Boberi fluuiorum intra Sudetos loco amœno commodoq; positum: tum balneis siue thermis vicinis nobilitatum, quæ variis corporum morbis malisq; curandis efficacissimæ.

HOTZEPLOTZ, opidum non amplum, sed situ commodo, loco edito, Episcopum Olomucensem agnoscens dominum. Dubrau. lib. 17. hist. Boiem. *Osoblauiam* adpellat, eamque arce & mœnibus cinctam perhibet à Brumone antistite Olomucensi.

HVNDESFELDA, Hundsfeld/ campus caninus, opidu-

lum vno à Vratislauia milliario eo in loco situm, vbi Henricus V. Imp. cum Glogouiam diu, sed frustra, obsedisset, à Boleslao Polono victus est & fugatus A. C. 1109.

IABLVNCKA, **Jablonko** / opidum Ducatus Teschinensis ad Carpathum montem & fines Hungariæ, nullis mœnib. circumdatum, sed arce validum.

IEGERNDORFFIVM, **Jegerndorff** / alio nomine Carnouia dicta, Ducatus sui metropolis: vrbecula elegans, in valle pulcherrima Oppæ fl. adsita, & vndique fere montibus cincta, qui laricis feracissimi. ARCEM habet splendidam & magnificam, Marchionibusque paret Brandenburgensibus: è quibus *Georgius* cogn. *Pius* auunculi sui Vladislai Hungarię & Boiemiæ Regis beneficio primus imperium suum isto ducatu amplificauit: quem nunc possidet Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus IOANNES GEORGIVS, Marchio Brandenburgensis, &c. Silesiæ nostrę ocellus, heroumq;, quà pacis quà belli artibus præstantissimorum augustum vere ornamentum.

IAVERNIGK, opidum Episcopale arcem habens adiunctam, quæ **Johannsberg** adpellatur.

IAVORIA, siue Iaurauium, **der Jawer** / caput ducatus sui, vrbs agro fertili sita, monasterioq; & arce, in qua residet præfectus vtriusque Ducatus Svvidnicensis & Iauoriensis prædita.

KALTENSTEIN, opidulum montanum Freivvaldæ proximum.

KARSCHOR, vicus immœnitus ducatus Oppauiensis.

KETZERDORFIVM, **Ketzerdorff** / vicus ad Stobram fl. cum arce Principum Bregensium.

KOBENA, **Köben** / opidulum ad Oderam fl. quod sub Henrico Barbato cepisse Curæus auctor est, sub dominio Cotuiciorum.

KOBEL-

KOBELGVRA, **Kobelgur** / opidulum exiguum non procul à Weidę fl. fontibus.

KRANOVICIVM, **Kranowitz** / opidulum immœnitum in Ducatu Oppauiensi.

LANDISHVTTVM, **Landeshutt** / opidulum Ducatus Svvidnicensis sic dictum quasi regionis specula.

LEOBERGA, **Lemberg** / opidum Ducatus Iaurauiensis amœnissimo ad Boberum fluuium situ (totus enim tam supra quàm infra opidum tractus nil nisi tempe est) olim metalli fodinis, nunc ingeniorum & agrorum cultura, ædificiorum elegantia, lanificii præstantia, hortorum denique amœnitate celeberrimum. A Boiemis quidem vel solo Rosmarino matresfamilias Leobergenses vectigal non infructuosum hactenus exegerunt: cuius quidem aromaticę plantulæ cultura acceptum referre Vir Clarissimus Dominus *Tobias Coberus*, Illustrissimæ Ducissæ Hainensis Medicus non dubitat: quod multorum cum magnatum stupore malus granata, & quidem trifera in horto Consulis Chrysostomi Schubarti sub ipsa Silesiæ Erigone conspiciatur.

LEOBSCHVCIVM, **Lübschitz** / Ducatus Carnouiensis opidum politum & elegans, nundinisque frumentariis celebratissimum. Agro enim fruitur lætissimo, & omnis generis frugum, quas magna copia & rara bonitate profert, feracissimo. Anno Christi 1603. incendio fortuito magnam partem in fauillas cecidit, nouis hodie ædificiis à ciuib. excultum.

LEHNVM, **Lähn** / opidulum ducatus Iauoriensis.

LESNITIVM, **Leßnitz** / opidulum ripæ Viadri dextræ impositum prope montem D. Annæ, peregrinationibus, quæ religionis & votorum caussa istuc instituuntur, celebrem.

LEWINVM, **Lewen** / opidulum immœnitum ad Nissam fl. in Ducatu Bregensi sub dominio Bressiorum. *sive Baronum de Beess*

LIBETHALIVM, **Liebethal** / valle amœna situm non procul à Gryphimontio: sodalitio Parthenio siue cœnobio sanctimonialium sub Abbatissa viuentium celebre.

LIGNI-

LIGNICIVM, Lignitz / vrbium ducatus sui princeps & quasi mater, auita ducum Lignicensium & Brigensium aula & habitatio. Vrbs quidem antiquitate est insignis, testanturq; Silesiæ annales, Boleslaum Procerum, cum mortuo patre Vladislao Poloniæ Principe patruorum suorum scelere vna cum fratribus Polonia minore exutus, solius Silesiæ principatum teneret, Lignicium & Lubenam splendidioribus ædificiis & structuris exornasse, eorumque mœnia dilatasse. Paullo post indulgentia & fauore successorum Principum, maxime Henrici Pii, Lignicium ita creuit, vt ipsæ etiam Vratislauiæ elegantia structionum opibusque & frequentia ciuium parum concederet. Nam cum B. Heduuigis mater Henrici, quem præ reliquis duobus filiis vnice diligebat, ex nobili stirpe Ducum Carinthiæ & Istriæ orta esset, passim magnæ familiæ ex Germania in hanc viciniam commigrarunt: quæ facile eam ex inculta reddere potuerunt cultissimam. Etsi vero ab eo tempore partim irruptione Tatarica, partim Hussiticis furoribus grauiter attrita & debilitata fuit: in eam tamen quasi postliminio sese vindicauit celebritatem: vt siue fertilitatem soli & victus parandi commoditates, siue munitiones & propugnacula mœnium & vallorum, siue ædificationis concinnitatem, siue denique ciuium numerum & opulentiam, humanitatemque consideraueris, non facile in Silesia metropoli excepta, quæ Lignicio præferri possit, vrbem inuenias. Nisi quod A. C. 1609. a. d. 18. Septembris incendium casu an maleficio incertum ibi noctu exortum, vento flante vi tanta grassatum est, quanquam ciuibus ad flammas extinguendas accurrentibus, vt tertia nobilissimę vrbis pars igne absumpta fuerit.

LISSA, Marg Liß / vicus in Ducatu Vratislauiensi cum arce noua, eaq; egregia Henrici ab Hornigk.

LOSSA, Loſſen / opidulum ducatus Ratisboriensis immœnitum, sed cui famam aliquam annuæ equorum nundinę conciliant.

LVBE-

LVBENA, Lüben / opidum ducatus Lignicensis peruetustum.

LVBLINICIVM, Lublinitz / opidulum immœnitum ducatus Oppoliensis, arce præditum, Baronum Kochticiorum: quorum familiam hodie ducit Generosus & Magnificus *Dn. Andreas L. B. de Kochtitz & Lublinitz*, &c. gentis iampridem splendidissimæ admirabile iubar: de cuius insigni pietate, eruditione, humanitate, aliisq; virtutibus, quod non nemo de Carthagine scriptum reliquit, satius fuerit tacere, quàm pauca dicere.

MEDCZIBORIA, Medziber / opidum Ducum Olsnensium in Poloniæ finibus.

MILICIVM, Militsch / opidum Baronatus dignitate celebratum ad extremos Poloniæ limites, Malzanio Baroni subiectum.

MONSTERBERGA, Munsterberg / vrbs antiqua ducalis opportuno fertiliq; sita loco: olim Ducibus cognominibus, qui hodie Olsnenses, nunc Regi Boiemię subiecta. Cromerus Monsterbergensem Ducatum alicubi Sambicensem vocat.

MVSCAVIVM, Muska / opidulum mœnitum ad Nissam fl. & fines Lusatię.

NACKEL, opidulum cum arce in ducatu Oppoliensi.

NAMSLAVIA, Namslaw / opidum Ducatus Vratisl. amplum & frequens, castrum habens cum genio & natura loci, tum solerti manu egregie munitum.

NAVMBVRGVM, Naumburg / opidum ad Boberum fl. Henrico Anshelmo Promnicio Baroni parens: & aliud eiusdem nominis ad Quissum fl. Naumburg am Queiß / sacrarum virginum habens monasterium: olim etiam Canonicorum regularium collegium ab Henrico Barbato eiusque coniuge Principibus pientissimis A. C. 1217. institutum & reditibus dotatum; sed quod post 67. annos in vicinam vrbem Saga-

num à Primislao Duce Sprottauiensi translatum est.

NEOSTADIVM, Newstadt / Polonis PRVDNICA à fluuio, qui præterfluit, cognomine sic dicta, minor (vt vocant) patria mea: vrbecula mœnibus cincta, non magna quidem, sed neque inamœna, neque incelebris, quæque adeo inter ducatus Opolienſis opida, si metropolim excipias, facile primas sibi vindicat. Castrum habet vetus colli impositum, Wogendrüssel antiquitus dictum, vnde iucundus in agros subiectos prospectus patet. Aer ibi purus & salutaris, ædes ciuium eleganter extructæ: ager circa opidum cum pascuorum fœcunditate lætus, tum frumenti satis ferax, præcipue in planiciem vbi subsidet. Eam partem, quæ minus fertili gleba, nemorosi fere saltus & siluæ occupant.

Cognomine aliud opidulum Newstädlin ad fluuium Weisfurt milliari Germanico distans Freistadio, & equinis nundinis quadragesimalibus celebre, familiæ Rechenbergianæ hæreditas.

NEIMARCVM, siue NOVOFORVM, Newmarckt/ opidum Vratislauiensis diœcesεos mœnitum cum Burgo.

NEVRODA, Newrode / opidum mœnitum cum arce haud procul monasterio Grissenſi.

NISSA, Neiß / Vrbs nobilis ad Nissam fluuium Episcopis Vratislauiensibus sedem præbens: in qua nihil fere earum rerum, quæ ad ciuitatis splendorem faciunt, desiderare queas. Peramœno quippe sita solo agros habet vberrimos, cœlumque saluberrimum: annonæ copia abundat: ciuibus frequens est, mercaturę opportuna & negociatione florens, mechanicis artibus egregie exculta, excellentibus denique ædificiorum structuris, sacris & profanis, publicis & priuatis ornatissima.

Forum vinarium mense Ianuario habet tota Silesia celeberrimum.

NIMI-

NIMITIVM, Nimptsch / opidum Ducum Bregensium, cui castellum imminet opere pulchrum & validum in monticuli situm fastigio.

NICOLOPOLIS, Niclaßstadt/ opidum immœnitum Ducatus Lignicensis.

ODERBERGA, Oderberg/ opidulum sine mœnibus arcem habens adiacentem vetustam ad Oderæ & Elsæ confluentem.

OLAVIA, Olaw/ cognomini amni impositum opidum non ignobile, situ pulchro commodoq;, loco plano: ducali arce eaq; elegantissima præditum.

OLSNA, Olsse / Cromer. Olesnicia, vrbs ducalis primaria: cui adiacet arx & palatium Principis nobilissimum.

OPPOLIA, Oppeln / Ducatus sui metropolis, Collegio Canonicorum celebris. Castrum habet vetustate, nisi succurratur, collapsurum, Principum olim sedem, trans Oderam fl. qui vrbem præterfluit.

OSTRA, Oster / opidulum immœnitum ad Ostram fluuium, Episcopi Vratislauiensis iurisdictionem ac tribunal agnoscens.

OTMVCHOVIA, Otzmuchaw/ opidum apertum cum egregia eiusdem prεsulis arce.

OPPAVIA, siue TROPPAVIA, Troppaw / metropolis sui Ducatus ad Morę & Oppæ confluuium ædificata: vrbs satis ampla & habitatorum multitudine referta, tota vndique muris firmis cincta: templis compluribus, inter quæ spectosissimum est parochiale affabre extructum, ornata: magnis concinnisque ciuium ædificiis, tum suburbiis longe hinc inde procurrentibus conspicua: insigni denique agri cœlique benignitate prædita. Monasteria virorum habet bina, fœminarum vnum, itemq; equitum Iohannitarum commendatariã. Magnam superiorib. annis ex proscriptione Cæs.

calamitatem sensit, & religionis exercitio & libertate, & iuribus omnibus ac priuilegiis per eam amissis: sed quæ tandem pleraque assidua Principum atque Ordinum intercessione reciperauit.

PARCHWITIVM, Parchwitz / opidum sine mœnibus, arce nitens, ad Oderam fl. in Ducatu Lignicensi.

PATSCOVIA, Patschkaw / opidum territorii Nissensis.

PLESSA, Pleß / opidum elegans in planicie amœna haud procul Vistula fl. ad limites Poloniæ maioris situm, & insigni arce præditum. Baronatus fulget honore, toparchas nacta ex testamento Balthasaris Episcopi Barones Promnicios.

POLCOVITIVM, Polckwitz / opidulum Ducatus Glogouiensis vetustum.

PRAVSNITIVM, Praußnitz / opidum mœnitum, Trachenbergensis Baronatus appendix.

PRIBVSIVM, Pribuß / opidum Ducatus Saganensis ad Nissam fl.

PRIMISLAVIA, siue PRIMKENAVIA, Primka / non procul Sprotta situ opidū: cui nomen à Primislao Sprottau. duce.

PRVSCAVIA, Pruska / opidum Ducatus Oppoliensis eleganti arce conspicuum.

RATIBORIA, Ratibor / vrbs Ducatus sui primaria cum arce vetusta sinistro Viadri alueo adiacens. Cœnobium isthic virginum & virorum. Collegium Canonicorum sub titulo B. Marię virginis in arce instituit Thomas Episcopus, eique decimas quasdam de suis attribuit: quod successu temporis ex arce in opidum translatum est.

REICHENBACHVM, Reichenbach / Ducatus Suuidnicensis opidum, textorum officinis frequens.

REICHSTOENIVM, siue REICHENSTEINVM, Reichenstein / ob metalla auri & argenti clarum ac celebre opidum: quod ante annos haud multos vna cum Silberbergia ditioni suæ adiecit Illustriss. Princeps Ioachimus Fridericus Dux Lygio-Bregensis. RIB-

RIBNICVM, Reibnigk / opidum apertum cum arce ducali. Ribnicensis Ducis apud Cromerum & alibi mentio.

ROSENBERGA, Rosenberg / opidum ducatus Oppolensis mœnitum cum arce ad Poloniæ fines.

RVDA, Rauden / diœceseos VVolauiensis opidum.

SAGANVM, Sagen / Crom. Zeganum, vrbs ducatus dignitate celebris eo loco, vbi Boberus & Quissus confluunt, ad vastas siluas extructa. Abbatiam habet, & officinis, in quibus ferrum durius cuditur, excellit. Paruit aliquamdiu hæc vrbs cum vniuerso territorio Electoribus Saxoniæ, sed quam Ferdinandus Rex Romanorum redemit A. C. 1548.

SASSINCOVITIVM, Sassinkowitz / opidulum Ducatus Oppolensis haud procul Glyvvicio.

SCHLAVA, Schlawa / opidulum Glogouiensis ducatus sub dominio Rechenbergiorum.

SCHLAVVENTICIVM, Schlawentitz / vicus apertus in Oppolensi ducatu cum arce.

SCHMIDEBERGA, Schmideberg / opidum metallicum ad latera montis gigantęi situm, à fabrorum frequentia, ac si diceres, fabrorum montem, denominatum. Ferraria fectura ante multos annos notum, & hodie metallicorū habitatio.

SCHOENOVIA, Schönaw / opidum ducatus Sauraiensis ad Cattum fl. ab amœnitate loci id nominis adeptum.

SCHVRGASTVM, Schurgast / opidulum apertum ad Nissam fl. in patrimonio Dn. Bessiorum.

SVIBVSIVM, Schwibussen / Crom. Suebodinum, opidum mediocre vltra Viadrum loco peropportuno & amœnissimo collocatum, vbi magna omnium rerum necessariarum copia. Curæus notat collocatum istuc ordinem equitum S. Mariæ. De nomine magna sollicitudo: sitne deductum à Suionibus vel Sueuis. Forte an extructum diceret quis eo tempore, cum Sueui pertæsi sedium suarum, quas excoluerunt ad Sueuum & Hauelum flumina, nouas istas suas, quas etiam

hodie tenent, in Vindelicia & Rhætia quæsiuerunt.

SILBERBERGA, **Silberberg** / opidum Ducum Bregensium metallicum: ab venis argenti nomen accepit, quod olim venæ argentariæ illic fuerint celebres.

SKOTZOVIA, **Skotzuff** / Cromer. Cozuchouia, opidum ad Vistulam fluuium, dynastiæ nomine insignitum, & arce præditum egregia.

SOMMERFELDA, **Sommerfeld** / opidum Ducatus Crosnensis ad Nissam fl.

SORA, **Sora** / opidulum mœnitum in Ducatu Ratiborienſi.

SPROTTAVIA, **Sprotta** / opidum elegans, frequens, amœnum, idemque post Glogouiam & Benthenam in illo territorio antiquissimum. Fluuiis adsidet ad meridiem quidem Bobero: ad alteram partem Sprottæ. Arcem habet versus ortum eo loco sitam, qui fluuiis & paludibus circumdatur. Cœnobium hic virginibus sacratum.

STINAVIA, **Steinaw** / opidum ad Oderam, Ducatus olim titulo insigne. Cui aliud cognomine opidulum apertum in Ducatu Oppolienſi ad Steinam fluuium.

STRELA, **Strelen** / Cromer. Strelinum, opidulum ad Olauiam fluuium insignis pulchritudinis, agro vndique beatissimo pinguissimoque einctum. Hoc enim præcipue tractu lætissimas fruges tellus producit.

STRELICIA MAIOR, **Groß Strelitz** / opidum cum arce Ducatus Oppolienſis, sedes honoratissima Baronum de Rhedern.

STRELICIA MINOR, **Klein Strelitz** / opidulum apertum Baronis Proskouii in eodem Ducatu.

STRIGOVIA, **Striga** / Cromer. Stregomum, opidum satis

satis amplum loco fertili situm. Clarum reddit terra, quæ in monte acuto Diui Georgii ecfoditur sigillata. Celebritatem auget cereuisia, quæ ibi ex tritico coquitur, optimis concenseri solita: quanquam non desunt, qui vim illius censeant flatulentam, cauendamque iis, qui sedentariam exercent vitam, quales sunt hi, qui libros nocturna diurnaque manu versant.

STROPPAVIA, **Stroppen** / opidulum immœnitum in Ducatu Olsnensi.

STRVMINVM, aliàs **Schwartzwasser** / opidum ad Vistulam fluuium haud procul Plessa, dynastiæ Scotzouiensi subiectum.

SWIDNICIVM, **Schweidnitz** / Vrbs ducatus sui primaria, percommodo situ, incolarum frequentia, murorum ambitu, ædificiorum structura conspicua. Templum habet parochiale affabre extructum editiori vrbis loco situm: tum monasterium DEIPARÆ VIRGINI sacrum, quod Stephanus, Andreas, & Franciscus, nobiles fratres Comites de Wirbna erexerunt Anno Christi millesimo ducentesimo & vigesimo.

TARNOVITIVM, **Tarnowitz** / opidum dynastiæ Benthensis metallicum ad radices Carpathi situm, metallis argenti, maxime plumbi hodie celeberrimum.

TESCHENA, **Teschen** / Cromer. Cessinum, vrbs primaria cum arce Principis ad Elsam fluuium, & radices Carpathi, emporio nobilis. Sclopeti istic conficiuntur, qui palmam poscere audent contra omnes Silesiæ.

TOSTVM, **Tost** / opidulum mœnitum cum arce Baronum de Rhedern.

TRACHENBERGA, **Trachenberg** / opidum Baronatus clarens dignitate: vliginoso loco ad Borthæ fluuii

fluuii ripas ſitum: bonorumque piſcium, maxime luciorum, captura nobilitatum ac celebre. Toparchas olim agnouit Barones Kurtzbachios, ante annos haud ita multos in Schaff-Gotſchiorum translatum familiam.

TREBNICIA, **Trebnitz** / opidum & eiuſdem cognominis, magni nominis cœnobium, ab Henrico Barbato D. Heduuigis marito fundatum, & puellis Ciſtercienſis ſectæ, ex cœnobio Bambergenſi huc translatis, attributum. Peregrinatione ad D. Heduuigis ſepulcrum ſuperſtitioſo illo æuo celeberrimum.

TSCHIRNAVIA, **Tſchirnaw** / opidum cum arce Stoſchiorum recentiſſimum, lanificii & tincturæ artificio præcipue clarum, nec nobilior tota fere Sileſia, quàm iſthic, pannus texitur.

VYASTVM, **Viaſt** / opidulum ducatus Oppolienſis ad fl. Kladinitz Epiſcopo Vratislauienſi ſubditum.

WALDBERGA, **Waldtberg** / opidulum ducatus Suuidnicenſis.

VVOLSTADIVM, **Wolſtadt** / opidulum ducatus Lignicenſis in ſpacioſa ſitum planicie, vbi Henricus Pius à Tataris cæſus glorioſa morte occubuit.

VVANSENA, **Wanſen** / opidum epiſcopale in agro Grotzouienſi.

VVARTA, **Warte** / opidum apertum epiſcopi Vratislauienſis ad Niſſam fl.

VVARTENBERGA, **Wartenberg** / opidum Baronatus ſui primarium, amœnum & elegans, haud longe à VVeidæ fl. fontibus diſtans: cuius dominio hodie potitur antiquitate nobiliſſima, nobilitate illuſtris, & primi apud nos ſubſellii familia Burggrauiorum Donenſium. Eſt & aliud eiuſdem nominis opidum in agro Freiſtadienſi.

VVEIDA, ſiue VVEIDENAVIA, **Weida** / Niſſenſis territorii opidum.

VVEISKRET-

WEISKRETSCHEM, & in vett. dipl. Peiskenkretſchem, opidulum apertum Ducatus Oppolienſis non procul Bythonia, Rhederos agnoſcens dominos.

WINCIGIVM, **Winzigk** / opidulum diœceſeos VVolauienſis.

VVOLAVIA, **Wohlaw** / munitum atque amœnum opidum loco vdo inter piſcinas ſitum: laneis pannis conficiendis hodie inſigne. Arcem habet minime contemnendam.

VVOCHSTADIVM, **Wochſtadt** / opidum mœnitum in Ducatu Oppauienſi cum arce eleganti Prazmannorum.

ZABOTHVM, **der Zobten** / opidum Zabotho monti ſubiacens.

ZAVDICIVM, **Zaudiz** / opidum territorii Carnouienſis.

ZIEGENHALS, opidulum mœnitum ad Bielam amnem, qui ad Niſſam vrbem Niſſæ fluuio iungitur, in territorio Niſſenſi. Officinis nitet ferrariis.

ZVLLICHIA, **Zullich** / opidum agri Croſnenſis, Electori ſubiectum Brandenburgico.

ZVLTZ, opidulum in Ducatu Oppolienſi honoratiſſimæ Proskouiorum familiæ poſſeſſio.

ZVLAVFF, opidulum apertum ditionis aliquando Milicenſis, nunc Barones agnoſcit Donenſes.

ZVCKMANTELA, **Zuckmantel** / olim **Edelſtein** / Epiſcopi Vratislauienſis opidum metallicum ſub radicib. montium Morauorum poſitum, ferri, æris, calchanti, argenti auriq; fodinis clarum: ſic dictum, quod latrones ibi viatoribus pallia detrahere ſoliti ſunt.

Sunt præterea hac in regione *Arces & caſtella* editioribus in locis & rupibus extructa, nullis licet adiunctis opidis, pulcherrima, & natura manuque munitiſſima,

qualia sunt verbi gratia, *castrum montis Gradecii*, Grotsberg / *Kienast*, *Greiffensteinum*, *Konigsberga*, *Boberstetnum*, *Karolatum*, &c. sicut & *monasteria* ad munitionem pariter & commoditatem habitatorum ædificata, & vicis pagisue vel adiacentibus vel non longe distantibus frequentata (Feldklöster) vt *Leubusiense*, *Heinrichouiense*, *Camencense*, *Grissouiense*, *Raudense*, *Grimmelvvicense*, *Trebnicense*, *Liebēthalense*, *CZarnouanſense*. Cuiusmodi sunt etiam *Commendæ* quædam, quas Germani corrupte Contercien vocant, militum D. Iohannis Hierosolymitani, qui hodie Melitam tenent, & hospitalarii, id est, xenodochi olim adpellabantur, vt *in Olsna minore*, *Tintz*, *Greibnigk*, *&c.*

Pagorum quidem in Silesia incredibilis frequentia: in quibus duplici vt plurimum ordine disiecta agrestium domicilia, & ligno lutoque paululum è terra adacta, pleraque stramentis, nonnulla etiam scindulis intecta sunt, præter adiunctas dominorum *villas*, quę ampliores sunt & cultiores, nec non nobilium *arces & prætoria*, omni elegantia & nitore perpolita: quibus mirum dictu, quantopere ornetur & illustretur Silesia.

CAPVT QVINTVM.

Ingenia & mores Silesiorum: corporum habitudo: educatio: studia: scholæ: rei familiaris cura: victus itemque vestitus ratio: hospitalitas: mercimonia: idioma.

COEli atque astrorum interpretes Silesiam nostram virginis & Mercurii tutelæ subiiciunt. Huic cœli constitutioni Curæus *ingenia* Silesiorum respondere scribit. quippe quæ vt plurimum media sint inter sanguinea & melancholica: ideoque plerumque in illis, qui doctrina & vsu non sunt exculti, natu-

naturalem quandam tristitiam, morositatem, δυσκωφίαν vel subagrestem quendam pudorem cerni. Verum si accedat cultura ex liberali institutione & assuefactione ingenia nostrorum hominum non solum optime esse omnium artium capacia, verum etiam accipere elegantem quandam dexteritatem ad res magnas efficiendas. Si addam ego bellicosos esse Silesios, & ad conserenda prælia deposcendaque pericula audaces, sed sine mala malitia, mente candida & simplici, magisq; falli quàm fallere aptos, nihil opinor falsi dixerim. Eaque res haud dubie occasionem dedit fabulæ illi vulgo decantatæ de Asina à Silesiis pro magna leporum matre deuorata. Sed quæ gens non aliquando fuit rudior? Romani ipsi, ἀγροικώτεροι adhuc, Leones, quia ex Numidia aduecti & feritate terribiles essent, vrsos Numidicos siue Libycos, tum visos primum Elephantos, quod nullum boue maius animal nossent, Boues, & quia ex Lucania adducti Boues Lucas adpellarunt: pariterque struthionem passerem marinum, Camelopardalim ouem feram, Pantheras mures Africanos crediderunt. Quod si quis adhuc est, qui ridicula illa exprobratione delectetur, is pro me tribus verbis respondentem sibi optimi genii & ingenii Poetam nostratem audiat.

Dicis Grille. Asinos Silesia deuorat omnes.
Si verum est, ne te deuoret illa, caue.

Color hominum fere subrubicundus: qua in re à crasso errore non excuses *Boterum*, qui giluum aut pallidum illis attribuit: qui itidem de tauro Phalaridis apud Silesios vsitato, quasi de re comperta proclamat, sed nugatorie. De quo, vt aliis non paucis cum vir clarissimus, & ab iurisprudentia, ab historiarum lectione, ab literis politioribus instructissimus Dn. *Georgius Schonbornerus*, V. I. D. Cancellarius Zollerinus pro adfectu & eo quod inter nos est

Alternum sanctæ fœdus amicitiæ

silentio alioqui me prętericturum monuerit, publice hic agnoscere ingenui esse animi duxi.

Statura mediocris: habitudo corporum optima: membrorum ac lineamentorum compositio elegans: tum naturalis quædam formæ bonitas: in feminis præsertim & puellis, quæ formę genuino & non fucato nitore lacteoque candore gentes finitimas prouocant: vt iam olim auctor magni Chronici Noribergensis *sexum femineum in Silesia venustum esse & affabilem*, salua tamen pudicitia, scripserit.

Iuuentutis educationem quod attinet, ad pædagogia & magistros mares liberos mittere, & primis literarum elementis imbuere, pauperibus æque ac locupletibus, nobilibus ac plebeiis studium est. Puellæ etiam nobiles & vrbanæ vel in scholis vel domi vernacula lingua legere, literas pingere & numerare discunt. Adultiores, puellæ quidem, rei familiari & sexui consentaneis artificiis, qualia sunt nere, acu pingere, texere, coquere, &c. manus admouent. Nisi quod alicubi etiam materculæ reperiantur, quæ filias suas, quas ἀλγηδόνας vident esse ὀμμάτων, ne forte maciem contrahant, & faciei sibi prauitatem affricent, ab omnibus laboribus & curis domesticis studiose submouent atque arcent. Mares vero vel ad doctrinarum studia, quibus Ecclesiæ ac Reipublicæ esse quandoque vsui possint, admouentur, vel militiæ, aut mercaturæ, aut agriculturæ aut opificiis mechanicis aliisque manuariis artibus, aut principum denique & procerum ministeriis (μία γὰρ οὐχ ἅπασιν ἁρμὲ ἥδεν μέλεται), nec naturæ tantum semina, sed etiam

Fortunæ sequitur munia quisq; suæ)

sese addicunt: complures etiam, præsertim nobiles ac ditiores, variorum populorum rerumque publicarum moribus & institutis coram intuendis noscendisq; lares paternos deserunt, & magnam secum doctrinæ copiam & optimarum rerum vsum ex peregrinationibus collectũ domum referunt. Ne quid de Martiis adolescentum nobilium hic dicam exercitiis, cuiusmodi sunt gladiis depugnandi, equos regendi cursumq;

sumque illorum pro libitu temperandi, eosdem in orbem agendi, & ex vtroque latere celeriter insiliendi atque desiliendi, ad annulum in stadio aut ligneum clypeum scopumque versatilem (κυντανὸς Iustiniano Imp. ab inuentore Quinto, hodieq; Quintana vulgo adpellatur) decurrendi, hastas vibrandi, & si quæ sunt id genus alia γυμναστικὰ, militiæ reiq; fortiter gerendæ quasi quædam præludia.

Sunt autem docilia Silesiorum ingenia, neq; mechanicarum magis q̃ liberalium artium capacia, q̃q̃ mihi sane quam mediocre contigit, ne dicam exiguum, vt cetera pleraque omnia. Apud maiores quidem nostros Marti magis q̃ Phœbo deditos, & vt Enniano verbo vtar, *bellipotentes mage quam sapientipotentes*, doctrinæ studia parum fuere culta. Auorum autem & nostra ętate doctorum virorum summaq; eruditione, variis artibus & disciplinis præstantium magna copia. Cuius rei fidem si quis est qui mihi abnuit, illud Germaniæ sidus præclarissimum *Philippum Melanchthonem*, (cuius doctrina & memoria magna nobis omnibus & sancta esse debet, quidquid etiamnum vanissimi quidam homunciones velut è plaustro conuicientur) audiat: cuius hęc de Silesia verba in epistola ad Henricum Lignicensium Ducem perscripta hodieque extant. *Non alia gens in Germania plures habet eruditos viros in tota Philosophia: & vrbs* VRATISLAVIA *non solum habet artifices industrios & ingenioſos ciues peregrinatores, sed etiam Senatum munificum in iuuandis litterarum & artium studiis.* Et paulo post: *Nec in vlla parte Germaniæ plures ex populo discunt & intelligunt doctrinas. Multi etiam ad Poesin & eloquentiam idonei sunt*, VRSINI, LOGI, ROSINI, LANGI *carmina doctissimi viri in Italia laudarunt.* Et eam quidem ad rem *Scholæ* passim non male institutæ: in quibus litteræ & artes, fontes illi bonorum omnium in genere humano, tanto studio, fide ac diligentia, hactenus explicatæ sunt, vt earum nomen celebre sit etiam apud exteros. Multis annis floruerunt GOLDBERGENSIS,

Friderici II. & *Bregenſis*, Georgii II. Principum illuſtriſſimorum, omnique laude pietatis ac virtutis præſtantiſſimorum auſpiciis nunquam ſatis laudando inſtituto conditæ, erectæ, dotatæ, & à Ioachimo deinde Friderico, immortalis memoriæ principe in maius ſubuectæ: tum *Vratislauienſis* vtraque *Eliſabethana* & *Magdalæa*: è quibus omnibus tanquam è Durateo illo equo feliciſſimus doctorum hominum prouentus: qui prima eruditionis fundamenta in Sileſia poſita ad ſumma deinde cuiuſuis doctrinæ faſtigia perduxerunt, Eccleſiamque & Rempubl. in partibus eius ſibi creditis dextre ac feliciter gubernarunt. *Goldbergenſis* quidem Patrum noſtrorum æuo ſub *Valentino Trocendorffio* viro erudito doctoreque eximio, quique primus quaſi ſignum quoddam ex arce Palladia ad litteras in hac prouincia inſtaurandas extulit, ad tantam famæ celebritatem ſurrexit: vt nemo fere in literatorũ cenſu, niſi qui ſub huius magiſtri ferula didiciſſet, poneretur. Neque incelebres ſunt *Svvidnicenſis*, *Lignicenſis*, *Freiſtadienſis*, *Leobergenſis*, *Bithonienſis* inſigni liberalitate Generoſi Baronis Dn. *Georgii Schonaichii*, Sileſiæ & Luſatiæ Cancellarii pronuper aperta, & aliæ, quas nominare non eſt neceſſe. Publicam ſcholam (quam cum omnia diſciplinarum genera profiteatur, & omnibus, qui literis imbui volunt, æque pateat, Vniuerſitatem appellamus, & Academiam à loco non procul Athenis diſſito, in quo magna diſcipulorum frequentia Plato docebat,) quod non habet Sileſia, Polonorum inuidia factum eſt. Cum enim Anno Salutis cIↃ IↃ V. Vratislauienſes opera Vladislai Hungariæ & Boiemiæ Regis, & Ioannis Epiſcopi ſui Academiam erigere conarentur: à Cracouienſibus impediti fuere: quorum inſtinctu Iulius P. R. cuius venia & auctoritate opus erat ad inſtituendam grauiorum artium ſcholam, priuilegia ipſis denegauit.

Rem familiarem Sileſii diligentiſſime curant: adeo quidem, vt non dubitem adfirmare, non eſſe aliam hodie prouinciam,

uinciam, quę plures habet ſtrenuos & induſtrios patresfamilias, in re præſertim ruſtica, quàm hæc ipſa patria mea. Neque de viris illud ſolum dico, ſed etiam de matronis: quibus plerisque pulcherrima diligentiæ æmulatione flagrantibus vnum hoc ſtudium eſt: vt cum negotiis maritorum rationem parem faciant, eaque cura ſua maiora atque meliora reddant.

Victus in Sileſia mundior & elegantior, quin etiam parabilior, quam inter alias gentes. Plebs vrbana & agreſtis domeſticarum pecudum carne, lacticiniis, oleribus, & pane cum hordeaceo tum ſiligineo victitat. Vrbanis ditioribus & nobilibus ampliora prædia poſſidentibus victus dapſilior & precioſior, vt qui menſas cum alitibus domeſticis, tum feris animalibus auibusque & piſcibus lautioribus, talibusq; aliis, in quibus permagnus eſt aromatum, ſaccari, & aliorum condimentorum vſus, cumulate inſtructas habent. Nec oleribus exquiſitis eæ carent aut bellariis, aliisque ciborum deliciis, ac cupediis non magis dominatis, quàm aliunde petitis. Adeo *quidquid quæritur, optimum videtur:* & hanc etiam prouinciam ſumtuoſus exterorum luxus nonnihil contaminauit. Vt minime mirum aut nouum videri debeat, ſi nonnulli, quibus modulus culina eſt, comeſis deuoratisque patrimoniis decoquant, nec poſteris ſuis quicquam præter luctum & querelas relinquant.

Priſcus & promiſcuus Sileſiæ potus eſt, de quo verſus extant leonini (vt vocant Grammatici, quales à Poetis priſcis tam Latinis, quàm vernaculis ſcribi ſolitos, & vix alios ex Epitaphiis & aliunde paſſim obſeruatur) nec tamen illepidi monachi manu tenentis tritici ſpinas.

Me piget hoc eſſe, cum ſit potare neceſſe
Vinum de meſſe, quod nos conſueuimus eſſe.

Bieram vel byram me intelligere palam eſt, quæ quaſi Cerebibia vel Cereris vinũ *Cereuiſia* vulgo & *Zythus* indiſcriminatim

tim appellatur, atque ex tritico hordeoue primum ad regerminationem madefacto ligulisq; enatis torrefacto (βύνην Græci, noſtri *Malz am* vocant. Priſci vero Germani *Bratium*, indeq; *Bratiarium*, quod horridius alii *Braxatorium* fecerunt, pro potus huius conficiendi officina,) tum aqua cum lupulo decocto, magnæ probitatis multique nutrimenti conficitur. Bonitas eius & præſtantia de ſpuma colligi ſolet, in quam adhuc à recente coctura vertitur, **wenn es gheret**: & adhibent quoque eandem noſtrates ſpumam ad panis fermentationem: quod & idem Plinius de Gallis pariter annotauit. Inter triticeos præcipuam laudem habet cereuiſia *Vratislauienſis*, quæ **Scheps** vulgo adpellatur: de qua ſane nihil minus dici poteſt, quàm quod de cereuiſia Teutonica Iulianus Auguſtus in lepido & arguto epigrammate εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς.

Κεῖνο γέκταυ ὄδωδε. σὺ δ' ἔρεζον.

Potus enim ſapidus, gratus & iucundus, nec ſiti magis ſedandæ, quàm robori & ſalubritati quęrendæ, præſertim vbi lupulo ſalictario bene fuerit temperatus: qui eam ob cauſſam plurimus ad vicinos etiam aſportatur. Hordeacea cereuiſia menſe Martio vtplurimum coquitur, & ſine acoris vitio per integrum annum, imo plures etiam ſeruari poteſt. Cuius rei cauſſam ſunt, qui referant ad primi veris vim, atque ſingularem efficaciam. Commendatur præ reliquis *Oppauienſis*, cui proximam cenſeo *Goldbergenſem*.

Vino olim pauci, & non niſi elegantiores vtebantur: nunc nemo non abutitur: ex Hungaria præſertim, Auſtria & Morauia aduecto. Quanquam nec Rhenenſia, Rhœtica, Italica, Hiſpanica, Canarienſia & Cretica vina deſint: apud Vratislauienſes inprimis, quibus iam olim priuilegii loco ab Henrico VI. Duce conceſſum reperio, **daß ſie nicht allein eſſen vnnd leben/ſondern auch wol eſſen vnd leben mögen.** Sine vino ſane nulla placent conuiuia: quaſi Varronem edidicerint, ita vbique elegantibus illis & ſuauib. verſiculis conuenienter occini audias:

Vino

Vino nihil iucundius quidquam cluit.
Hoc continet coagulum conuiuia.
Hoc hilaritatis dulce ſeminarium;
Hoc ægritudinem ad medendam inuenerunt.

Mel quoque cum lupulo aqua decoctum (*Medonem* vulgo vocant, Plinius hydromeli & aquam mulſam) in frequenti vſu eſt. quod cum ex Polonia & Lithuania importatur, tum Ratiborię, Oppauiæ, & alibi coquitur. Ex pirorum etiam & pomorum vinoſo ſucco multis in locis ficticium vinum conficitur, quo plurimum tenuiores vtuntur, quamuis ſit, vt id genus alia, & frigidum, & flatulentum.

Sed & *vini ſublimati*, quod ex vini fecibus vel ex frumento eliquatur, frequens eſt in Sileſia potus: ex quo quidem nobiles etiam viri in ſuperiore præſertim Sileſia luculentos prouentus percipiunt. Fecibus ſues commodiſſime paſcuntur: quæ paſcendi ratio veteribus ignota fuit, quemadmodum ex Varrone & Columella adparet. Vinacea autem illis olim & ſcapi ex vuis dabantur, ſi fundus miniſtrabat.

Cæterum *compotationes* in Sileſia (vt propria vineta cædere liceat) frequentiores: vbi quidem ἀπνευστὶ, ἀμυστὶ καὶ ἀῤῥύθμως nõ Xenophontis minuta illa & rorantia, ſed portentoſa pocula exhauriri videas, & ſollicite legem illam Græcorum obſeruari. *Aut bibendum aut abeundum.* Idque non magis in cauponis, ad quas vulgus compotandi cauſſa conuenire ſolet, quàm in procerum conuiuiis & quibuscunque fere conuentibus. Vnde crebræ inter vinolentos rixæ & contentiones, quæ non tam in conuicia, quam vulnera & cædes deſinunt: ſed ipſæ tandem in compotationibus, ceu Bacchi auſpiciis tranſiguntur, hauſto vtrimque Philoteſio cratere concordiæ firmamento. Verum habent id commune Sileſii cum aliis populis, maxime Septemtrionalibus, vitium: quod tam altas egit radices, vt extingui, vt elidi, vt exſtirpari nulla ratione queat. Deſinit nimirum eſſe remedio locus, vbi quæ fuerant vitia, mores ſunt: ac-

cedente præsertim dominorum & magistratuum indulgentia, quibus nimium quantum fructuosa est illa potandi licentia. Ex hac siquidem non exigua & tributorum & vectigalium publicorum iuxta ac priuatorum portio corrogatur.

Vasa mensalia, poculaq; plebi lignea, stannea, vitrea: quibus honestiores non contenti argenteis etiam vtuntur & aureis, iisq; vario opere cælatis. In his quoq; *prodiga rerum luxuries* vbique se summopere exercet.

Vestitus ratio eadem fere in Silesia est, quæ in reliqua Germania, hoc est, neq; vna neq; certa. Sæpe quippe pro tempore variatur cum qualitate tũ forma & ritu. Eum autẽ in modũ à paucis annis, vt est hoc æuum, in quo vitia, vt inquit ille,

Quasi herba irrigua succrerunt vberrime,

in corporis cultu & vestitu luxus inualuit, rerumq; potiri cœpit, vt nec is vllis videatur legibus coerceri posse: apud sequiorem potissimum sexum, qui maxime hic modum excedit. Itaque videas passim, quæ instar auis Iunoniæ se noua vestium peregrinitate quotidie iactent, & crines, spiras, aures, collum, digitos, manus, stolas modo curtas modo syrmata trahentes à tergo septenum pedum, crepidas item & calceos, argento, auro, gemmis & margaritis exornent precios̃is, quibus toti nonnunq̃ impensi census. Cui quidẽ malo optimũ, si quid iudicare possum, remediũ: si magni minorib. præirent, & sum̃ates atq; nobiles exemplo suo, quod cupide inferiores amplectuntur, inter decoris orbitas plebem redigerent. Quod dum non fit, nequicq̃ speramus, sublatũ iri malum, q; quasi sentina Remp. mergit. Sed nolo nũc de his plura: ne intempestiue censorium opus obiurgandis morib. nostrorũ temporũ suscepisse videar.

Erga aduenas & peregrinos Silesii perq̃ humani & benigni: optimisq; morib. hoc ab iis impetrarunt, vt cum hic habitare cœperint, alia in patria se natos esse obliuiscantur. Quę quidem præclara omnino laus est, non ob id continuo Silesiæ nostræ deroganda, q; vnus forsan & alter homines nequam & improbi

improbi illam negligant. Zizania vbiq; tritico permista sunt: an triticum propterea vili pendendum? Magna sunt iisdem variarum rerum tam inter se q̃ vicinis cum gentib. *commercia*, quib. frumentũ præcipue, pisces, cereuisiam, caseos, lanas, linum, pannos laneos lineosq;, alutã, mel, cerã, rubiam tinctorũ, acorum, plumbũ, ferrum, lithargyrium, arma, &c. communicant: p quib. grata quadam cõmutatione certatim ab iis recipiunt pannos sericeos & laneos lineosq; subtiliores, cymatiles itẽ ex subtili caprarũ pilo in fila deducto contextos, quos Camelottos & grogreinos vocant, gossipium, margaritas, gẽmas, fila aurea argenteaq;, murium ponticorum exuuias, quas nostrates sabellicas cognominant, aliasq; pelles exoticas, sal, haleces quos haringos nominamus, quà conditaneos seu muriaticos quà fumo duratos, asellos, passeres exiccatos siue plateas, lampetras cũ fumo duratas tũ assas aromatib. respersas & aceto cõditas, vina item omnis generis exotica, oleũ, oliuas muria maceratas, saccarũ, aromata, aut si qd aliud est, q; natura cœli & soli genius nobis negauit. Harum aũt rerũ atq; merciũ exportandarũ & importandarũ commercia Silesijs sunt cum Germanis, p̃cipueq; Marchiacis, Pomeranis, Prussis, Austriacis, Morauis, Bojemis, Belgis, Polonis, Hũgaris Transyluanis, Italis, & alijs. Itinera quidem p Silesiã nostram q̃ alibi tutiora, fideli cura Principum atq; Ordinum, qui per emissarios suos, quos non exiguo alunt numero, malis hominib. prouinciam ita purgant: vt mercatores opulentissimi iter faciant liberi, & suas merces vltro citroque transportent absque vllo stipatorum comitatu: quo quidem in vicinis regionibus opus.

Idioma q; attinet, quemadmodũ originis & nominis communione, ita etiam linguæ societate gens Silesiaca cum Polonis olim coniuncta fuit. Postea vero q̃ Germanorũ coloniæ in Silesiam deductæ, ipsa deniq; à Polonia auulsa fuit: Germanici ẽt sermonis vsus prę ualuit. Quamuis opida pene tota & pagi pleni, vltra Viadrum præsertim, ista etiamnum ætate mordicus retinentium sermonem Slauicum: nec desunt, quib. in vsu

Boiemicus,à Polonico,si pronunciationem & dialectun excipias, parum diuersus.

CAPVT SEXTVM.

Diuersa hominum in Silesia genera.

PRoximum nunc est,vt ad delineandam aliquo modo Rempub.Silesiorum sermonem conuertamus, quod vt eo commodius fiat, primum diuersa hominum genera, deinde magistratus,tum iudiciorum,comitiorum denique & fisci rationem breuiter & ὡς ἐν τύπῳ explicabimus.

Vniuersus igitur Silesiæ populus vsitatissima illa & vetustissima hominum diuisione ex clericis siue Ecclesiasticis constat,& laicis siue secularibus.

Clerici sunt,quibus cura sacrorum commissa est, & religionis Christianæ: quam quidem Silesia deorum superstitione olim occupata anno post natum Christum IↃ CCCC LXIX. Ioanne XIII. Romæ sedente amplecti cœpit. Idq; opera *Micislai* Polonorum Principis: qui cum ducta in vxorem Boleslai I. Boiemię Ducis filia *Dambrouca* (Dobrauam Ditmarus adpellat,ita dictam quasi Bonam) Christiani nominis prolatandi studiosissima primus ex sua gente baptismatis fonte Christo renatus inanium deorum simulacra magnis affixa perticis per vicos gestari, & tandem in cœnum proiici comburiq;, & vanos adeo priscæ superstitionis ritus atque ceremonias aboleri curasset: Principis exemplo pleriq; optimates & populares, nobiles ignobilesq; promiscue incitati, tam flagranti studio abiecta paganica superstitione & πολυθείᾳ se Christo consecrarunt: vt emori potius quàm deserere cuperent. In cuius rei fidem mos ille apud Polonos per ea tempora inoleuit,vt quamdiu Euangelii verba in templo ad aram à Sacerdote pronunciarentur, homines equestris ordinis gladios mediotenus stringerent,ad Euangelii defensionem & subeundam pro religione mortem se paratos esse hoc gestu quasi profitentes: Choro autem accinente, GLORIA TIBI DOMINE, in vaginas eosdem reconderent. Tanta autem religionis Christianæ propagandæ cupiditate Micislaus flagrauit, vt nouem statim diuersis locis basilicas supellectili omnis generis preciosa ornatas, & censibus ac possessionibus locupletatas ædificauerit: & inter hos etiam in Silesia *Smogorouiensium* cathedram: quæ subsequenti tempore *Bicinam*, tandem à *Casimiro* Polono Micislai II. F. (quem in Cluniacensi nobilissimo per totum orbem Christianum cœnobio religionem professum, & iam Diaconum Poloni annuente & Sacramenti atque sacerdotii vinculum laxante Romano Pontifice, ad regnum maiorum suorum reuocarunt) *Vratislauiam* translata est: insula vrbi vicina ad Oderam sita Episcopo & collegio sacerdotum attributa, largioribusq; subministratis vectigalibus, pro illius præsertim temporis sacrorum hominum parsimonia & moderatione. Æmulati factum posteriores Principes atque Præsules multas certatim villarum,siluarum,pagorum, opidorum, territoriorum donationes adiecerunt: vt *Vratislauiensis Episcopatus* paullatim ad tantum non modo dignitatis & auctoritatis, verum etiam opulentiæ fastigium, quantum pauci alii supergressi,peruenerit: & *Aureus* adeo nuncupari quondam meruerit. Cuius ob id thesauris inhians Gregorius XI. P.R. cum Precislaus Episcopus relicta magna pecunia excessisset, præter contributionem Ecclesiis Polonicis impositam ex hereditate illa triginta millia aureorum per legatum suum redegit,& insuper octo millia annua sibi pactus est è reditibus Episcopæ, donec aliquis Precislao successor daretur: cuius renunciatio siue approbatio in septimum propterea annum dilata fuit. *Basilica* ipsa cathedralis D. Ioannis Baptistę honori sacra est: qui gentis nostræ quasi Deus tutelaris, tam venerabilis omnibus, vt Principes etiam viri nomen ipsius litteris suis præfixerint: vti patet ex Henrici Barbati vetusto diplomate, cuius hoc est initium:

initium: Nos HENRICVS DEI ET BEATI IOANNIS, PATRISQVE MEI BOLESLAI GRATIA SLESIÆ DVX, &c.

Ordinem ceremoniarum, cantus, & vestitus cum liliorum insignibus ex Lugdunensi omnium Galliæ nobilissima & antiquissima basilica in Vratislauiensem induxit Waltherus Episcopus equestri Zadoreorum natus familia. Series antistitum hæc est.

A.C.		
969.	Godefridus	Nobiles Romani.
973.	Vrbanus	
1005.	Clemens	Nobiles Itali.
1027.	Lucilius.	
1036.	Leonardus	
1045.	Timotheus	
1051.	Hieronymus, nobilis Romanus.	
1062.	Ioannes I.	Nobiles Poloni.
1072.	Petrus I.	
1091.	Ziroslaus I.	
1100.	Imislaus vel Heymo	
1126.	Rupertus	
1141.	Magnus	
1146.	Ioannes II.	
1148.	Waltherus.	
1170.	Ziroslaus II.	
1181.	Franciscus, nobilis Silesius.	
1198.	Iaroslaus, Boleslai Alti Silesiæ Principis F.	
1201.	Cyprianus	Nobiles Poloni.
1207.	Laurentius I.	
1232.	Thomas I.	
1267.	Thomas II.	
1292.	Ioannes III.	
1301.	Henricus de Wirbna	
1319.	Vitus I.	

1326.

1326.	Nankerus	Nobiles Silesii.
1341.	Precislaus de Pogarella aulæ Regiæ Cancellarius.	
1376.	Theodoricus Bojernus.	
1382.	Wenceslaus, Dux Silesiæ Legnicensis.	
1417.	Conradus, Dux Silesiæ Legnicensis & Olsnensis.	
1447.	Petrus I. Nowack dictus, Silesius.	
1456.	Iodocus Rosenbergius, Baro Bojemus.	
1467.	Rudolfus, ex diœcesi Moguntina oriundus.	
1482.	Ioannes IV. Roth Sueuus.	
1506.	Ioannes V. Turzo, nobilis Polonus.	
1520.	Iacobus à Salza	Nobiles Silesij.
1539.	Balthasar à Promnitz.	
1562.	Casparus à Logaun	
1574.	Martinus Gerstmannus, Boleslauiensis Silesius.	
1585.	Andreas Ierinus, Sueuus.	
1596.	Bonauentura Han, Glogou. Silesius electus, sed non confirmatus.	
1599.	Paullus Albertus, Sueuus.	
1600.	Ioannes VI. à Sirsch, Nobilis Silesius.	
1608.	Carolus, Archidux Austriæ.	

Præter Episcopatum autem alia quoq; collegia canonicorum, vt *Vratislauiæ ad D. Crucis & D. Aegidii, in maiore & minore Glogouia, Nissæ, Oppoliæ, Ratiboriæ* atque alibi instituta sunt, fundis, villis, prædiis, aliisque possessionibus ac reditibus amplissimis Principum liberalitate aliorumq; fidelium Christianorum prompto in religionis cultores benefaciendi studio cuiq; attributis. Præterea *monachorum* q̃plurimi ordines, vt vestib. ita & regulis inter se distincti: multiplices *nonnarum* siue *monialium* cœtus: *domus hospitales*, & id genus cõuẽtus alii: quorũ antistitibus

bus ducales nonnullis opes, omnibus vero ad liberaliter ac splendide viuendum magna facultas datur. Ne quid de *plebanis*, *parochis*, siue *curionibus* dicam, aliisque minorum sacerdotiorum curatoribus. Quorum quidem loco in reformatis Ecclesiis surrogati sunt *Ministri*, qui reiectis tot adscititiis & gentilissimum verius quàm Christianissimum redolentibus næniis ex verbi diuini præscripto populum docerent. Tametsi vero Reformationem illam Ecclesiarum & eorum, quæ perperam in religionem inuecta sunt emendationem à Luthero inchoatam Silesia magnam partem cupide amplexa est, ob idque à Pontificia religione secessionem fecit: Episcopus tamen, Abbates & Prælati suam religionem, ceremonias, possessiones, vectigalia & iura libera fere hucusque retinuerunt, neque quo minus illis pacate vti frui possint, vlla ratione impediuntur: si paucas Ecclesiasticas præfecturas & quædam id genus alia bona sacra excipias, quæ Principes ac ciuitates nonnullæ sibi sumserunt, eaque in ministerii, scholarum, egenorum & similes pios atque vtiles vsus conuerterunt.

Episcopum porro suffragiis communibus deligunt sodales siue *Canonici Collegii D. Ioannis*: hactenus tamen, si & Boiemiæ Regis accedat consensus: à quo electus & regalium, quę habet, inuestituram petere, & homagium illi atque fidelitatem, tanquam Princeps & vasallus Ligius, præstare tenetur. Eligendus autem est non nisi è Boiemis, Morauis, Silesiis aut coniunctis regno Boiemiæ prouinciis, qui quidem hoc munere dignus sit. Sic enim in celebri illa transactione Colowratensi facta Anno Christi cIↃ JↃ IV. inter alia conuenit. Quanquam ab hoc transactionis capite aliquoties recessum est. Nostra enim memoria Episcopatum gessere duo è Sueuorum gente *Andreas Serinus* & *Paullus Albertus*: & hic quidem excluso *Bonauentura Gallo* Glogouiensi Silesio: cuius electio à Pontifice & Cęsare nouo plane & antea pene inaudito exemplo fuit abrogata, frustra sese opponentibus Principibus cæterisq; ordinibus,

nibus, & inprimis *Ioachimo Friderico* Lignitii, & *Carolo* Monsterbergæ Ducibus: qui quidem nouæ electioni nomine Cæsaris adesse iussi, cum *Paullum Albertum* hominem exterum & illum quidem solum à Cæsare nominari & collegio offerri intelligerent, se excusarunt, & non exspectata electione discesserunt: cum neque fidei suæ, qua Reipub. obstricti essent, neque existimationi conuenire existimarent, vt electionem mali exempli, & iuribus ac priuilegiis prouinciæ aduersantem suo suffragio non modo comprobarent, sed etiam adiuuarent. Quæ tamen Illustrissimorum Principum aduersatio prohibere non potuit, quo minus Paullus à Cęsare nominatus eligeretur. Galli autem electioni abrogandæ præcipuam occasionem ipsimet præbuisse creduntur Canonici: qui Cæsaris legatos ad noui successoris nominationem pro more missos iuribus suis ac priuilegiis & Pontificis auctoritate confisi, parum honorificè tractarunt, & plura nomine ac iussu Cæsareæ maiestatis proponere cupientes audire recusarunt, sed dimisso subito collegio neglecta Cæsaris nominatione ad electionem Galli conuolarunt.

De beneficiis Ecclesiasticis, quorum distributio ad Episcopum, Principes, Collegium, & alios quoscunque pertinet, in eadem transactione pariter cautum est: ne aliis quam indigenis regnique Boiemiæ & coniunctarum prouinciarum incolis, qui quidem eo munere & honore reperiantur digni, conferantur. Sed hoc quoque transactionis caput non semel est violatum. Admissi enim sunt ab illo tempore homines exteri Itali, Poloni, Sueui, Austriaci: qua de re principes atque ordines Silesiæ sæpius numero in publicis conuentibus sunt conquesti.

Abbatum & *Præpositorum* eligendorum ius Collegia Monachorum in Silesia hactenus retinuerunt. Tametsi enim decreto Concilii Tridentini collegia Monachorũ Episcopis subiecta sunt: Gregorius tamen XIII. P. R. istius prouinciæ monachos Episcoporum potestati exemisse fertur. Itaque eliguntur nunc Abbates & Præpositi sine Episcopi assensu, quanquam

consecrationes ab eodem accipiunt, quod ipsum tamen non æque ab omnibus obseruatum constat.

In *monsales*, ducatuum præsertim, quos vocant, hæreditariorum, plus habet Episcopus potestatis. In eligendis enim Abbatissis ius suffragii habet: & si moniales forte in electione dissentiant, suo voto controuersiam dirimit.

Hoc plane singulare est, quod Abbatiæ & monsteria in hac prouincia pleraque in patrimonio Principis seu Regis Boiemiæ censentur, **werden für Cammergüter gehalten.** Itaque cum lis aliqua eis mouetur, Cæsareus fisci aduocatus ipsis præsto est, qui operam dat, ne quid res Principis detrimenti capiat. Defungentium antistitum bona non Ecclesiis neque cognatis, sed fisco regio siue Cameræ cedunt: quæ ob id mortuo Abbate vel Abbatissa quam primũ à fisco obsignantur, & præsente fisci aduocato in inuentarium rediguntur. Idem olim ius Imperatores in Episcoporum & Abbatum mortuorum bonis mobilibus & se mouentibus, quorum omnium fiscus heres erat vel Camera imperialis, vsurparunt: vt pluribus docet Henr. Meibomius in peculiari super eo iure dissertatione. Idque inde à Carolo Magno vsque ad Othonem IV. qui incertum sponte, an importunis electorum principum precibus verborumque lenociniis victus in maximum succedentium præiudicium parum consulte primus id abrogauit, vt apparet ex principum imperii scripto ad Innocentium III. P. R. & post illũ Fridericus II. Imp. in aurea bulla §. 4. quorũ tamen constitutiones per omnia apud nos minime receptæ. Quin etiam si quæ necessitas incidit frequenter à Boiemiæ Regibus tributa Abbatibus & prælatis indici consueuerunt: quam tamen subuentionem ex charitate solum beneuolentiaq; in Reges, non etiam ex debito proficisci vulgo illi commemorant: quippe qui ius esse Regib. in sacerdotia negant. Atq; ex eodẽ iure etiam illud est: quod potestatẽ sibi Reges vsurpant alendos offerre cœnobiis milites veteranos siue cautarios: qui acceptis bello vulneribus graues annis & multo iam

iam fracti membra labore sonticam caussam, cur dimissionem impetrent, adferunt, corporis autem artificio vitæ necessaria quæritare nequeunt.

Laici siue *seculares* vel nobiles sunt, vel ignobiles.

Nobilium in Silesia tres sunt gradus: primus *Ducum*, alter *Baronum*, tertius *Nobilium* communi nomine sic dictorum.

Duces superioribus seculis in hac prouincia fuerunt plurimi: inter quos cum hæreditas paterna in capita diuideretur, atque ita multi fratres, quod vulgo dicitur, monasterium depauperarent: factum est, vt in multas quasi lacinias discerpta prouincia crebris exponeretur bellis, & secundum Varronem, *quò pote plus*, vrgeret atque opprimeret imbecilliores

——— Pisces vt sæpe minutos
Magnus comest, & aues enecat accipiter.

Nunc vero stirpibus nonnullis morte sublatis ad pauciores redacta est prouincia: qui quidem terras habent & dominia non contemnenda. Sunt autem hodie quatuor in Silesia Principum familiæ: quarum vt per meritissimas laudes plausibiliter velificandi vberrima superaret materia, nisi talia panegyricis & æternis historiarum annalibus, non tralaticio huiusmodi scripto deberi probe meminissem, ita in recensendis, ne cui præiudicatũ eam, aut curis me mactem & onerem inuidia, semel hic edico, palamque omnibus testatum facio nomenclaturam me quæsiuisse, & temporis quo quæque longius in Silesia dominata est, non dignitatis rationẽ in ordine secutum. Ex iis ergo quædã ab antiquo & multis retro seculis rerum in Silesia potitæ, vt *Lygio-Bregenses* & *Teschinenses*, à *Piasto* Poloniæ Monarcha, cuius posteritas Io circiter annorum spatio ordine successorio apud Polonos feliciss ime regnauit, continua serie absq; vlla interruptione originem ducentes: quædam posterius in hanc prouinciam alienunde velut insitione quadã translatæ: cuiusmodi sunt *Monsterbergẽses* siue *Olsnicenses*, & *Brandẽburgenses*. Ac *Monsterbergenses* quidem è stirpe Georgii Regis Boiemiæ: cuius filios bellica laude & heroicis virtutibus illustres Victorinum, Henricum gene-

ris sui clarissimæ lampados CAROLI supremi Silesiarum hac tempestate præfecti proauum,& Hinconē A C.cIↃ ccccLXII. Monsterbergenses Duces & S. R. I. Principes creauit *Fridericus* III. Imp. Vbi notanda obiter insignis Platinæ scriptoris Pontificii ἀνισορησία,qui in vita Paulli II.stirpem Georgii Regis à Paulo funditus sublatam fuisse scribit. Ipsius autem Georgii maiores è stirpe *Bósconis* Comitis Nidani & Berneccii ad Rhenum: quem siue Conrado siue Friderico II. imperante Germania relicta in Boiemiam transiisse illustremque Constadiorum & Podiebradiorum gentem condidisse, cōsensus qua editorum qua ineditorum annalium habet. *Brandenburgenſis* ex Zolleriana, Comitum, quorum stemma hodieque apud Sueuos superstes est, gente antiquissima: quæ sub Carolo Magno cœpit, non à Petro Columna, Romano illo patricio,qui Pontifice in ordinē & vincula ab se coacto in Germaniam ad Henricum IV. Imp. profugit,sed diu ante à *Thassilone* propagata per CCCC. LXX. annos vsq; ad *Ettel-Fridericum* Comitem in Hohenzollern, qui vixit anno salutis cIↃ CC LXXIII. & ex sorore Rudolfi Habsburgici Cæsaris filium reliquit cognominem *Ettel-Fridericum* II.primum huius familiæ Burggrauium Noribergensem, beneficio auunculi Cæsaris: Huius abnepotem *Fridericum* ob res sapienter fortiterque domi bellique per Hungariam & Boiemiam atque in imperio gestas, *Sigismundus Imp.* Constantiæ designauit primum Marchionem Brandenburgicum, & suum in eo principatu successorem: à quo tota ista heroica Electorum & Marchionum Brandenburgensium omnium,quotquot hodie Dei gratia in Marchia,Borussia,Ducatu Iuliacensi,Franconia, Silesia florent, progenies vberrime fructificauit.

Et horum quidem Principum ditiones Silesiacæ fere omnes(nisi quod deducatu Carnouiensi,quem hereditarium esse Illustrissimi Marchiones contendunt, adhuc sub iudice lis est, quam vt nostram hic faciamus non est opus) Regibus Boiemiæ clientelari iure obstrictæ: adeo quidem, vt tametsi iure commu-

communi Feuda dignitatum sint perpetua, & in infinitum transmissibilia,hoc tamen in Silesia deficiente simultanea inuestitura neutiquam obseruetur: sicut accidit in Ducatibus Oppolienſi & Ratiborienſi,qui patrum nostrorum memoria Ioanne Duce sine liberis masculis defuncto, & ita cum eo illustrissima Oppolienſium Ducum familia,quæ longo tempore in Silesia floruerat, omnino extincta, deuoluti sunt, exclusis agnatis Lignicensium & Teschinensium Principibus.

Quæ quidem præcipua etiam caussa fuit, cur D. Ferdinandus Rex pactum confraternitatis siue περὶ ἀλληλοκληρονομίας, vt Græci vocant,hoc est, de mutua successione,vt nimirum alterius gente exstincta alterius succederet, inter Ioachimum Electorem Brandenburgensem & Fridericum Ducem Lignicēsem non adhibito consensu regio factum, per sententiam Vratislauiæ A. C. cIↃ IↃ XLIX. a.d.XIIX. Maij latam, ceu quod in Regis præiudicium ac detrimentum vergeret, resciderit atque irritum pronuntiarit. A territoriorū tamen onere liberi sunt & immunes Silesiæ Principes,nisi quæ charitatis & beneuolentiæ caussa vltro & sponte sua præstant: **Was sie vor jhre Person thun/ alles auß Vnterthäniger Lieb vnd Trew/vnd keine Pflicht beschihet.**

Baronis vox ordinem nobilium inter Principes & minorum,vt ita loquar,gentium nobiles,siue equites interiectum significat,sunt autem Barones in Silesia hac tempestate permulti: in quibus præsignis præ reliquis illorum dignitas, qui Baroniarum liberarum nomine status prouinciæ repræsentant, & inter quos controuersiis de iure πρεσεδρίας siue sessionis prærogatiua compescendis D. Ferdinandus eodem illo, quem diximus anno, a. d. XXII. Maij hanc legem dixit:vt qui antiquissima esset familia, reliquos præcederet. Tenent autem hodie dynastias illas, Wartenbergensem quidem *Burggrauii Donenses*,Plessensem *Promnicii*, Milicensem Malzanii, Trachenbergensem *Schaff-Gurschii* Barones. Reliquorum nomina,quę mihi quidem innotuere, hæc sunt: *Bessii, Braunii, Curzbachii, Donati, Kitlicii,*

Kochticii, Kotolinskii, Logi, Mettichii, Oppersdorffii, Parchwicii, Proskouii, Rederi, Schonaichii, Sedlnitzkii à Choltitz, Sonneccii, Tschirnhauseri, VVirbenæ, Zedlicii: quib. alios alii addant, & parcāt mihi, quodordinem potius alphabeticum, quam quem huius illiusve prærogatiua postulare visa fuit, obseruauerim. In mensa (si volent) locum digniorem occupent, aut in templo subselliisve. Nomenclatura hic quoque, non ordo quæsitus est.

Nobiles in specie sic dicti sunt equestris loci homines, qui Italis *Gentilhuomini*, nostris vulgo **Junckern** dicuntur, non modo clypeis gentilitiis, quæ in nobilitatis insignia gestant, sed & specialibus titulis à plebe distincti. Et fuit quidem tempus, cum nobiles nostri titulo **Tüchtig** honorarentur, honoratiores autem ex nobilitate **Woltüchtige** audirent. Crescente autē ambitione creuit titulorum luxus: & proxima superiore ætate abolito veteri titulo cœpti sunt nobiles dici **Veste** (validi). & **Ehrnveste** mox **Strenge** seu **Gestrenge**/ quod vocabulum secundum Latinorum *Strenuum* formatum receptumq; videri potest: & tandē **Edle**/ quo nomine olim soli Barones insigniebantur: vt ex antiquiorib. priuilegiis ducatus Glogouiensis & aliunde adparet. **Tüchtig** autem idem esse videtur, quod honoratus **Ehrnveste**: indeq; **einen vntüchtig machen** h. e. aliquem infamia notare. Aliquando etiam voci **tüchtig** præponebatur vox **Erbar**/ **der Erbar vnd tüchtige.** In cuius locum postea successit vox **Namhafft**/ & tandem **Wolbenambt.** Quemadmodū vero innumeræ sunt nobilium in patria nostra familiæ, quarū quædam indigenæ sunt, quædam è Germania velut insitę fortunarum & honoris generis sui domicilium his locis statuerunt: ita non paucæ eorundem immunitates & prærogatiuæ, quæ partim Regum & Principum munificentia firmatæ sunt, partim moribus & institutis inualuerunt: quas quidem semel impetratas non magis eripere quisquam illis potest, quam clauam è manibus Herculis extorquere: tametsi nonnullæ ab omni ratione videantur alienæ. Vt quod de iure recepto Iulianus scribit, & de Galliæ quoque suæ

suæ moribus magnus ille πολυπραγμων φωστηρ Cuiacius alicubi vsurpat, *non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse*, id nobilitatis nostræ immunitatibus aptari verissime possit. Qualis exempli gratia, non nemini cum Andrea Fricio videri queat, quod in quibusdam ducatibus pagos possidere solis licet nobilibus. Sed absit, vt inter eos, qui equestris ordinis priuilegia impugnare in animum inducunt suum, nomen meum profiteri velim: qui de nobilitate, si ab honoris & virtutis studio non deficiat, omnia magna sentio, eique vti decus suum atque honos præ reliqua multitudine constet, & è re publica esse semper credidi, & apud omnes omnino nationes cultiores, monarchicæ præsertim subiectas dominationi, ita receptum sat scio. Et vt maxime nihil in politico regimine in speciem videatur iustius æqualitate. Honorum tamen & immunitatū æqualitatem qui vrgent, næ illi magnam & periculosam in Rempub. inducunt inæqualitatem & confusionem: dum non distingui volunt eos, quos vel dignitas vel virtus siue propria siue maiorum à plebe distinguit. *Omnes boni* (præclare ait Romani maximus auctor Tullius eloquii) *Semper nobilitati fauemus: & quia vtile est Reipub. nobiles esse homines dignos maioribus suis: & quia valere debet apud nos clarorum hominum senex de Repub. meritorum memoria etiam mortuorum.*

Nobilitas porro à parentibus in liberos deriuatur: vt quod Galli prouerbio iactant, *le verge anoblit*, idem hic etiam vsurpare queamus. Sane qui continuatā familiæ suæ seriem à quatuor vsque auis paternis & maternis pariter repræsentare non valet, nobilium ordine ac loco neutiquam censetur: nisi ex Principis priuilegio omnimodam & absolutam nobilitatē sit consecutus. Cuiusmodi quidem non per sordes aut gratiam, sed vel ob virtutē bellicā, vel ob eximiā eruditionē aut prudentiā vel ob munus aliquod aut officiū in Rep. vel ob magnas deniq; opes dum ne turpiter acquisitas (sępe n. opes non minores q̄ cætera omnia Reip. vtilitates adferūt, ac propterea honorē in illa mereri videtur)

tur) per honorarios Cæsaris codicillos creati nobiles, vt antiquioribus illis fortasse se conferre non ausint, ita minore non loco censendi, quam illorum erant maiores: qui & ipsi beneficio Principum nobiles facti ad posteros nobilitatem, quam virtutis ergo acceperant, transmiserunt. Cur enim, quod ex aliena virtute tibi arrogas, aliis id ex sua non concedas? *Omnia quæ nunc vetustissima creduntur* (Taciti verba sunt auro contra non cara) *noua fuere. Inueteraſcet hoc quoque, & quod nunc exemplis tuemur, inter exempla erit.* Sed enim & ipsius equestris ordinis vel maxime interest, cum is ob fortunam bellicam, cui potissimum merere eum oportet, maxime obnoxius casibus mortalitatis habeatur, & fors adeo ipsa, quæ familias extulerat, eas plerumque aut deprimat aut exstinguat: non modo vt antiqua nobilitas summa studio propagetur, sed etiam, vt in veterum demortuarum gentium locum nouæ substituantur. Videmus prudentes agricolas loco veteris labantis nouam arborem inserere, vbicumq; locorum inuenerit. Et Principi, vbi virtutem aliquam egregiam conspicit, ipsam exornandi auctoritas non erit?

Studia equestris ordinis quod attinet, licet numerosa multitudo in vrbibus & oppidis degat, plerique tamen cœlo liberiore gaudentes

------- procul negociis
Vt prisca gens mortalium
Paterna rura bobus exercent suis:

Et cum ex agrorum, tum ex gregum, armentorum, piscinarumque fructibus non modo cum familiis suis se sustentant, sed & ære mutandis iis, quæ supersunt vsui domestico, non exiguum quæstum faciunt. Qui quidem tantum abest, vt nobilitati deroget, vt etiam laudi habitum olim fuerit, agros manu coluisse. Id quod Serrani, Cincinnati, Catonis, Atilii, aliorumque exempla testãtur: quos ab aratro & stiua ad fasces accersitos, & illustrandos habitu consulari illis ipsis manibus, quas assumpturi erant imperialibus togis, madidum sudore puluerem detersisse

fisse legimus. *Ipsorum tunc manibus Imperatorum* (ait eleganter Plinius) *colebantur agri, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: siue illi eadem cura semina tractabant, qua bella eademque diligentia arua disponebant, qua castra: siue honestis manibus omnia lætius proueniunt, quoniam & curiosius fiunt &c.*

Et in his ipsis quidem permultos reperias Dianæ alumnos: qui cum Symmacho sententiam illã, quæ rem venaticam seruile ducit officium, ab eo quippe scriptore profectam, qui stilo magis probandus, quam vt ab illo agendæ vitæ petatur auctoritas, recusantes in syluis ac venatu crebri: & alacri adeo fatigatione corpus exercentes, aut retibus feras capiunt, aut foueis decipiunt, aut veragis acriter incitatis fatigant, aut ferro sectãtur: nec vlla eis tam aspera, abrupta & præcipitia sunt loca, quæ feris indagandis non penetrent. Neque vero pauciores aucupio dediti, non tam vulgari & fraudulento illi, quod illectas auiculas superfusis retibus solet includere, aut viscatis virgis intricare, quam accipitrino, quod falconibus, asturibus & accipitribus peragitur, sic parere assuefactis, vt & voces humanas intelligant, & quo iussæ sunt volantes prædam in aere, in ipsisque nubibus quæsitum eant alacres, & aduersus repugnantem etiam cum vitæ periculo dimicent, tandemque aut falcatis vnguibus correptam ad dominos adferant, aut alarum verbere conterritam in canum insidias præcipitare compellant. Græci recentiores ἱερακοσόφιον, vt canum institutionem κυνοσόφιον vocant: veteribus autem incognitum nec ante Iulii Firmici Sollijque Sidonij tempora, hoc est, sub Constantino & Theodosio AA. inuentum, ab iis vero temporibus in Curopalatina matricula pleroſque artifices subprotohieracarii dispositione censitos fuisse, mox & artem ipsam libris cum ab aliis tum à maximo Imp. Friderico I. comprehensam docet *Nic. Rigaltius*, qui rei accipitrarię scriptores aliquot ex bibliotheca regia Medicęa haud ita pridem edidit.

Armorum autem bellique cura, & graue Martis opus, vt

ait Poeta, his noſtris præcipuum: quippe qui militia ſuperpleroſque finitimos excellunt, in bellis præcipue Turcicis non aſſidui ſolum ſemper, ſed fere primi, pro aris & focis, pro religione & regione, pro lege & grege, pro ſalute & libertate patriæ,

Cladem inferre pares & propulſare parati.

E quibus *Rederos, Ruberos, Zedlicios, Rotkirchios, Rotwicios Rubnicios*, & innumeros alios, ἐσθλὸν ἐνυαλίου γένος ἄρεως, nominare liceat, qui vel noſtra memoria ob res bello præclare geſtas, & prudentiam militarem domi forisque memorandum ſibi nomen condiderunt: ſed quorum laudes pro dignitate exequi, & oratione illuſtrare velle ingens annalium labor fuerit, nec noſtri nunc inſtituti. *Nobilitas Sileſiaca* (non meis ſed Cl. P. Bertii verbis dicam) *animis erectis eſt & inuictis, manu prompta, conſilio prouida, ante diſcrimen tranquilla, in periculis audens & concitata. Proinde Hungariæ quod reliquum eſt, id magna parte huic nobilitati orbis Chriſtianus merito acceptum referre debet.*

Neque tamen deſunt etiam, qui cum generis dignitate excellentem in omni ſcientiarum genere eruditionem coniungunt, & quibus adeo genere antiſtant, eos non magis Marte quàm arte, armis quàm literis, ſago quàm toga, ferro quàm calamo ſuperare pulcrum exiſtimant. Si niſi externo non credis teſtimonio, ecce tibi locupletiſſimum teſtem παύσοφον illum & πανάρετον IANVM GRVTERVM Belgam, amicum quidem illum noſtrum, ſed vt maleuolentiæ & inuidiæ, ita & adulationis cauſſas procul habētem. Verba illius ad nobiliſſimos iuuenum Erneſtum-Fridericum & Gulielmum Rhedigeros equites Sileſios hæc ſunt: *Quodnam quæſo illicium honeſtius optatiuſve frontiſpicio ſuo ferat fœtus, obſtetricantibus editus Muſis, quàm Rhedingerorum in quo nomine exultat Phœbus, lætatur Minerua, tripudiant Charites. Quippe vt alios familiæ veſtræ prætermittam, vbinam illa virtuti Camœniſque amica Numina aut agunt libentius, aut videntur frequentius, quam in inſtructiſſima omnium linguarum bibliotheca patris veſtri? qui vir, tam à multis annorum ſeptimanis, ita inſigne natalium fortunæque decus auguſto omnigenæ eruditionis lumine illuſtrat, vt peculiariter audiat Sileſiæ ſuæ Mercurius. Nec diuertunt ab hac opinione exteri, cum eundem libentes meritoque indigitent, non literarum modo, ſed & literatorum omnium amatorem admiratoremque vnicum: Quod ipſum elogium eo præclarius, quo plures agunt in illo Germaniæ tractu humanioribus ſtudiis vere deuoti: Rara res eſt, ſed vera tamen: ita nobilitas Sileſiaca morata eſt, vt vltro præferat, cæteris quidem ordinibus ornamento emolumentoque eſſe literas, ſuo præterea neceſſarias.* Hactenus Gruteri verba, quę vel ideo hic inſerere viſum, quod de NICOLAO RHEDIGERO Striſæ, Sliſæ, Sporsbergæ ac Ruchefii Domino potiſſimum ſcripta, viro vtique (quod præfiſcine dixerim, inter nobiliſſimos doctiſſimo, inter doctiſſimos nobiliſſimo, inter vtroſq; optimo: quique adeo inter æui huius primos non aliter reſplendet, quam in puriſſimo auro puriores gemmę, aut quam

pura nocturno renidet
Luna mari, Gnidiuſve Gyges:

ad ſumma ob id dignitatum culmina haud dubie conſcenſurus niſi ab omni hactenus ambitione, quæ magnam hominum partem adamantinis vinculis irretitam tenet, remotus, vitamque aulicam nihil aliud quam ſplendidam miſeriam ac perſonatam felicitatem ratus oblatas conſtanter repudiaſſet, & à Reipubl. procuratione non inertia, ſed iudicio ſeſe abſtinuiſſet. Quanquam interea cum vniuerſis ac ſingulis prodeſſe ſtudet, tum vero literarum cultores, quantum in ſe eſt, tuetur, fouet, alit, ornat, ac benignitate & beneficentia alia ſupra aliam quotidie vadatur: idque ea animi lubentia vt cum maxime obligat, tum maxime obligari videatur. Quod vt diu faxit, DEVM opt. max. animitus quæſo venerorque: vt longum ſuperſtitet Reipub. literariæ mearumque adeo

grande decus columenq; rerum.

Sed plura de eo dicere ſuperſedeo: ne cuius in domeſticorum

numero, annis aliquam-multis fuisse non in minima felicitatis parte pono, eius auribus gratiam facere, aut palponem agere velle videar: cum præsertim in hac tota patria nostra, in vniuersa Germania, in vicinis deniq; Christiani orbis prouinciis nemo paullo humanior sit, ad quem non fama virtutis, doctrinæ, prudentiæ, pietatis atque liberalitatis Rhedigerianæ permanarit. Neque iam hoc loco quis exspectet, vt nobilium nostratium eruditionis laude florentium catalogum cum suis elogiis pertexam: cum tam ampla & infinita sit illorum copia, vt neque primum neque secundum neque tertium nominare posse videar, quin decuplo plures supersint, qui eum ipsum ordinem ad locum solicitare & vindicare sibi pari iure queant. Nisi quod admirabile est, quantum nostra ætate excelluerit generosæ & iam ab aliquot centum annis toga pariter sagoque primariæ nobilitatis, insignisq; meritis ac famæ vir, Dn. WENCESLAVS à ZEDLITZ & Neukirch in Eicholtz & Dohna, illustrissimæ Aulæ Lygio-Bregensis Consiliarius & Ducatus Lignicensis Capitaneus dignissimus, nuper admodum morte matura quidem & vitę consentanea, bonis tamen omnibus luctuosa & acerba terris ereptus, & in beatorum sedes translatus.

——Manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores

& monumentum

His saltem accumulem donis & fungar inani.

Obsequioso tamē erga Musagetam incomparabilem munere: quem (vt ceteras eius virtutes publice spectatas, & ad quas adeo non imperite fecerit, qui quod de Scipione olim dictum fecerunt, accomodauerit, vnius huius viri morte alterum Reip. oculum quasi effusum siue effossum videri, omittam) non magis doctrina exteris ipsis passim comperta & dilaudata admirabilem: quam illustria in literas literatosq; beneficia venerabilem, vtraque certe ita & carum bonis omnibus & vbique clarum fecit

fecit: vt dubitari non oporteat, quin τὸ μακαρίτῳ gloria per omnem temporis memoriam sit perennatura.

Quandoquidem vero nobilitas ita coniuncta est bonis feudalibus, vt nobiles olim non nisi feudatarii dicerentur, neque desint inter Dd. qui contendant possessorem feudo nobilitari, (quod tamen alii rectius negant, aut certe non nisi cum distinctionis temperamento concedendum putant) neque ab hoc loco alienum quidquam neque lectori ingratum (puto) fecero, si de *feudis* etiam *Silesiæ* aliquid hic attexam.

Feudorum diuisionem in duo summa genera iuris interpretes communiter deducunt, vt feudum aliud rectum sit seu proprium, aliud non rectum seu improprium, quod nimirum aliqua sui parte non omni à communi feudorum natura recedit: vulgo degenerans, bastardum & irregulare vocant. Huius generis sunt pleraq; feuda in Silesia, quę magna sui parte à communibus feudorum proprietatibus degenerant. De quo etiam Modestinus Pistoris & Ioannes Koppen, magni nominis IC. in consiliis & decisionibus suis attestantur. In eo autem primū feuda Silesiaca à propria feudorum natura degenerant, quod vasalli in Silesia maximam partem solum subiectionis iuramentum, non etiam specialem fidelitatem vasallagii Boiemiæ Regibus præstare consueuerunt.

Præterea ea est plerorumque in Silesia feudorum ratio, vt neque hæredes vasalli à domino, neque vasallus ab herede domini renouationem feudi petere aut accipere cogatur, quæ certa item est feudi improprii & degenerantis natura. Sed & hoc in feudis nostris peculiare, quod certa tantum & determinata seruitia à vasallis præstantur, cum rectorum feudorum natura incertorum seruitiorum præstationem exigat. Quinimo illa ipsa certorum seruitiorum præstatio infirmum vasallagii in Silesia argumentum præbet, cum nostris moribus etiam allodialia prædia seruitiorum oneri sint obnoxia, **Dieweil die Ritterdienste so wol von Erb vnd eigen/als von Lehengütern geleistet werden.** Denique

nique Feuda in Silesia ad instar bonorum patrimonialium se habent,& cum libera alienandi ac pro arbitrio de iis disponendi potestate fere conceduntur: quod contra naturam feudi esse nemo est qui nesciat. Hinc vasalli moribus nostris & inter viuos & in vltima voluntate de feudis, non secus ac cæteris latifundiis, quæ prorsus libera sunt, & vt vocant, allodialia, libere disponunt, eaque in quos volunt, etiam extraneos transferunt: excepto casu, si vasallo nulla aut soboles mascula aut eius spes sit, & feudum morte vasalli vel ad dominum vel ad agnatos simultanee inuestitos sit reuersurum, **es sey dann/ daß das Lehn auffm Fall stehe**. Tunc enim alienatio tanquam fraudulenta & in detrimentum domini agnatorumve facta minime admittitur. Sunt & alia in feudis Silesiæ peculiaria, quæ cum ex constitutionibus & priuilegiis singularum prouinciarum siue ducatuum, tum quotidiano rerum vsu discenda: rectequeac laudabiliter facerent illi, qui in Reipublicæ luce versantur,& hæc talia quotidie tractant, si eiusmodi singularia colligerent, ac nobiscum, qui quasi per transennam aspicimus,& in vmbra hoc tantum proficimus, vt cum in forum venerimus, putemus nos in alium terrarum orbem delatos, publici iuris facta communicarent, neque vt Aspendius ille citharistes, omnia sibi ac suis intus canerent.

Ignobilium nomine censentur populares & plebeii, siue illi in vrbibus & oppidis, siue in pagis vitam degant. Et *oppidani* quidem præter eos, qui honestioribus studiis dediti, & magistratu in suis vrbibus funguntur, vel mercaturis studioserem quærunt, vel terræ cultui innocenter vacant vel artes mechanicas & opificia grauiter exercent. Inprimis vero magna textorum frequentia, qui cum pannos laneos, tum telas lineas, easque præstantissimas singulari industria conficiunt. Lini quippe vt diximus, magnus in hac regione prouentus, & quia precium proritat, multi eo versi, & in linificio passim occupati. Alii opus exercent, alii pecuniam conferunt, alii vendunt, alii emunt,& in

in Hungariam, Belgium aliaque loca rursus diuendunt, vnde non exiguæ opes ciuibus comparantur.

Nec desunt ex oppidanis, qui armorum tractandorum peritissimi. Cumque apud multas gentes plebi armorum vsus interdicatur, contra in Silesia omnis plebs vrbana pro facultatum ratione arma sibi comparare & domi conseruare cogitur. Et quia nostra ætate sclopetorum siue bombardarum, quas vocant, maximus in militia est vsus, loca idonea exercitiis destinata: ad quæ festis vacuisque diebus ciues conueniunt,& in eo armorum genere exercentur, præmio victoribus publice proposito. Idem antiquitus balistariis exercitium, quod etiamnum in oblectationem magis quam in militiæ vsum passim vsurpatur: neq; priuatim solum, sed etiam in plurium oppidorum panegyri siue conuentu.

In pagis sunt rustici, olitores & hortulani: deterioris illi quàm oppidani conditionis: vtpote dominis sui ad seruitia & operas (quæ vulgo coruatæ, & vernaculo sermone **Roboten**/ à Polonica Robota, itemque **Frondienste** quasi sacra seruitia nuncupantur) obligati: non absimiles colonis illis veterum Romanorum, qui & terram colere,& canonem præstare, quod & domino & agricolis vtilius esse Imperator Anastasius respõdit, cogebantur.

Sunt autem seruitia siue obsequia rusticorum vel realia vel personalia. Realia voco, quæ sumtibus patrimonii expediuntur, quæque in census potissimum præstatione consistunt, veluti quod pro mensura agri certam pecuniæ summam, aliquot frumenti modios, anseres vel gallinas (**Silberzinse / Getreidezinse / Zinß oder Rauchhüner**) piper etiam alicubi & id genus alia per singulos annos præbere coguntur. Cuiusmodi præstationes in veteribus diplomatis honorantiæ vulgo **Ehrungen** dicuntur: eam opinor ob caussam, quod huiusmodi munuscula vltro olim honoris gratia porrigi solita, sed quæ hodie in necessitatem quasi debiti sunt detorta: atque ita

Symma-

Symmachi verbis, quod in principio beneficium fuit, vsu atque ætate factum est debitum. Quibus adde, quod domino filiam nuptum danti conferre tenentur, vel ad dotem vel ad sumtus in nuptiarum solennitatem impendendos: idque non primæ tantum filiæ, sed etiam secundæ & vlteriorum. Personalia quæ corporalis laboris intentione perpetrantur, veluti vt agrum domini excolant arando, fruges in horreum conuehant, fimum in agros, frumenta in vicinas vrbes exportent, ligna tam καύσιμα quam ἐργάσιμα ædificiis exstruendis necessaria aduehant: & si quæ sunt similes operæ, quas ij solum agnoscere suisque sumtibus edere coguntur, qui equos aut boues aratores alere possunt, qui adpellantur **Bawren**, & operæ ipsæ **Pflugdienste**. Reliqui quibus tantum agri & facultatum non est, vt sunt plerique hortulani, operas expediunt duntaxat manuarias, puta vt segetem demetant, fruges flagellis è stipula excutiant, ligna secent, literas alio perferant, in venatione dominis auxilium præstent, &c. Communes sunt vtrisq; excubiæ, quas tamen non nisi periculosis temporibus deberi verius est, quanquam alio fere iure vtimur. Cõsiderantur porro operæ bifariam. Quædam enim sunt certæ, determinatæ, & ad certos dies aliasve circumstantias restrictæ, puta, in vere tot dies cum aratro, in messe tot dies cum curru, &c. quædam incertæ, indeterminatæ, indistinctæ: quæ ob id ab religione pendent dominorum & ducatus cuiusque consuetudine. Quorum vtraque tamen ex æquo & bono sic moderanda: vt nec colonorum, qui non tam innocentes hodie & quieti, vti Valẽtiniano, Valenti, & Gratiano AAA. visum olim fuit. Sed mutatis rerum vicibus callidi magnam partem, refractarii & contumaces, mox etiam daturi progeniem fallaciorem, petulantia, quam par est, sit maior: nec liberum dominorum arbitrium, quorum auribus nulla fere Musica suauius insonat, quam illa,

Rustica gens est optima flens, & pessima ridens,

in tyrannidem & atrocem sæuitiam abeat. Quod si fiat, præfecti re-

cti regii, aliique superiores conquerentibus subditis & eorum opem implorantibus, vel etiamsi taceant subditi, pro imperii dignitate ex officio grauiter prouidere, & vt domini à vexationibus & iniquis exactionibus malaq; tractatione desistant, opportunum adhibere remedium & possunt & debent. Sane cum ea tempestate, qua seruitutum ius adhuc integrum fuit, seruis tamen, qui à dominis suis asperius tractati vel durius habiti essent, ad ædem sacram vel statuam Principum tanquam asylum præsidii ergo confugere licuerit, præfectusque vrbi itemq; Proconsul aut Præses Prouinciæ querelas seruorum de sæuitia dominorum audire solitus sit, vt constat ex quamplurimis iuris nostri locis: multo accuratius etiamnum seruitutum vsu inter Christianos sublato, cauendum est: ne qui domini colonis suis instar mancipiorum abuti, aut pecora campi tractare præsumant.

CAPVT SEPTIMVM.

Magistratus Silesiæ.

MAGISTRATVS Silesiæ vel *Ecclesiastici* sunt, vel *Seculares*. Inter *Ecclesiasticos* familiam ducit *Episcopus*, quem sequuntur Pro-Episcopus siue Suffraganeus, cuius opera Episcopus in sacrandis templis cæmiteriisque, ordinandis sacerdotibus & similibus rebus vtitur, Præpositi, Decani, Archidiaconi, Scholastici, Cantores siue Primicerii, Custodes, Cancellarii, Vicarii in spiritualibus, officiales, Cœnobiarchæ siue Abbates, Magistri, Priores, Custodes siue Guardiani, Parochi siue Plebani &c. Qui qualemvel in clericos suos vel in laicos etiam in causis vel spiritualibus vel ciuilibus habeant potestatem, late tractat ius Canonicum: quo lectorem remittere sufficiat. Dummodo hoc silentio ne prætermittam, Reformatione Religionis facta eiusque αὐτονομίᾳ, siue libertate à Cæsare concessa, Ecclesiasticam iurisdictionem contra Augustanæ confessioni addictorum religionem, fidem, ritus & ceremonias suspensam, iuraque

Episcopalia ad Principes territoriorum & status tanquam fiduciarios possessores translata esseac deposita: adeo quidem, vt ipsi etiam clerici iis tanquã magistratui ordinario subiecti sint, nec aliorum iurisdictione constringantur & obligentur. Quæ quidem Ecclesiasticæ potestatis iura, vt pro statu Ecclesię optimo administrent & gubernent, duobus fere mediis vtuntur: quæ ordinis sunt per Superintendentes, qui censuræ morum & exercendæ disciplinæ præsunt, totiusque Ecclesiasticæ eutaxiæ curam gerunt, quæ vero sunt legis diœcesanæ & iurisdictionis in foro Ecclesiastico, per consistoria exequentes.

Inter *laicos magistratus* post *Imperatorem Romanum* principe loco merito numeramus *Regem Boiemiæ*. Fuit quidem Silesia regni Poloniæ à Lecho conditi prouincia annos pene Io ccc LX. Ante annos vero plus minus CCXC. cum Poloni Silesiam à Germanis compleri, neque Principum voluntates ab iis abhorrere animaduertẽtes, neglectis Principibus Silesiæ, ad quos regnum pertinebat, Vladislao Lochico Germanorum hosti acerrimo, aliisq; exteris honorem regium deferrent: factum est, vt Principes illi debita successione excluſi, repulsæ & contemtus sui dolore à Polonis discederent. Cum vero illi numero plures opibus vero dispares, nec libertatem ferre, nec iura necessitudinis colere scirent, & inuidentia eo vsque proueherentur, vt ne ab insidiis quidem mutuis ac cædibus abstinerent: inuitatus hac occasione *Ioannes Lucemburgius*, Henrici VII. Imp. filius, per coniugem Elisabetham postremi ex Slauica familia Regis Wenceslai sororem Boiemiæ Rex, vafri ingenii Princeps & in omnem protelandi imperii occasionẽ paratus, auctis inter dissidentes odiis non magno negocio perfecit: vt plerique volentes aliena in iura transirent, deque ditionibus suis ab omni hactenus clientela solutis fidem atq; obsequia Ioanni promitterent: *Carolo* eius filio, quod reliquum fecerat pater, conficiente, perque connubium cum *Anna* non Bernhardi, vti Hagecius & Cromerus memoriæ prodiderunt, sed Henrici Iauorienſium Ducis

Ducis filia Suidnicensem & Iauoriensem, qui adhuc restabant Ducatus, regno Boiemiæ inferente.

Hoc ergo intestinarum discordiarum fructu redacta in Boiemiæ Regum ditionẽ Silesia: qui an ab Romanis illam Imperatoribus in feudum recognoscant, quod iam olim adfirmauit auctor magni Chronici Noribergensis editi anno Christi cIↃ CCCCXCIII. eoque respectu imperii prouinciam cum nõnullis, qui Politici haberi volunt, non vulgaribus adpellare liceat, intelligentiores, & in his præcipuum decus patriæ ac meũ D. Georgius Schonbornerus, qui multa mecum hac de re contulit, non omnibus æque nota, æstimauerint. Proprium enim & immediate imperii prouincia non est: cum neque ius sessuræ & suffragiorum in comitiis habeat, neque munera, functiones, & collectas imperii agnoscat, neque in asserenda denique iustitia quidquam illi cum Statibus imperii commune intercedat. Equidem non sum nescius, in veteri illa imperii Romano-Germanici diuisione, qua ex singulis membris siue ordinibus quaterni lecti, qui auctoritate & potentia cęteris sui ordinis antistarent, quatuor numerari prouincias *Vicariatus* dignitate cohonestatas, *Brabantiam*, *Saxoniam*, *VVestrichiam*, & patriam nostram *Silesiam*. Verum à quo, aut quo tempore, aut qua occasione id honoris & tituli Vicarialis Silesiæ indultum sit, tam scio, quam de quaternariæ illius diuisionis auctore, origine, addo etiam fide certi dicere habeo. Vicariatus sane imperii particulares (degeneralibus enim illis, quos vacante imperio siue regno Teutoniæ Palatinus ad Rhenum & Saxoniæ Septemuiri diuisis inter se limitibus, hic quidem in Saxonico iure vtentibus, ille in ceteris Sacro Imperii subiectis & deuinctis prouinciis, meruerunt minime hic loquor) certis familiis frequenter olim nec temporaliter tantum, sed perpetuo etiam & hereditarie concessos, perque illos imperatoriam potestatem non parum retusam & hebetatam fuisse historiæ loquuntur. Quemcunque enim Imperator suo diplomate imperii vicarium creabat, huic ipsi iis in lo-

cis, quæ is possidebat, vt dominus, censebatur tribuere omnia iura & insignia summæ h.e. regiæ & imperatoriæ potestatis, excepta appellatione, aut saltem veneratione & fide erga Imperatorem, & perpetuo regni & imperii fœdere. quod quo pertinuisse dicamus, nisi cum V. CL. Car. Pascalio ad minuendum, dehonestandum, lacerandum imperium? Atque huiusmodi Vicarii fuisse olim leguntur Delphinus in regno Arelatensi, Scaligeri Veronenses, Marchiones Montis ferrati ab Aledramo Saxone orti, & nostra etiamnum ætate suis in territoriis tales se venditant esse Mantuæ, Sabaudiæ, Mutinæ & Rheggii Duces, nec non maximus Rex Hispaniarum, sed ex titulo & dominatu Insubrum, quibus id honoris Adolphus Imp. indulsit, Carolus autem IV. confirmarit. At tale aliquid de Silesia tametsi satis curiose inquirenti, reperire non est: vt veteris illius matriculæ fides non apud me minus, quam nobilissimum *Marquardum Freherum*, qui notis ad Petrum de Andlo quaternariam procerum & ordinum imperii distributionem, vtvt vetustatem quãdam re dolere videatur, & in oculis & ore vulgi frequens appareat, idoneum tamen fundamentum nullum habere scribit, admodum laboret: aut si qua ei omnino habenda, has blanditias Silesiorum patientiæ vel velandæ vel parandæ prætextas credã. Quanquam pro certo talia adfirmare nolim: & facile manum dedero, si quis adferat verisimiliora. Sane quod solius honoris ac præeminentiæ nõ vero potestatis imperii amplificandæ causa tituli illi potentibns sunt tributi, villarum, rusticorum, vicu lorum, montium (quos inter Monsterberga etiam numeratur) arcium venatorum, & similia priuilegia eodem quaternario numero impetrata ostendunt: eiusque sententiæ fundum & subscriptorem habeo V. CL. *Tobiam Paurmeisterum* à Kochstet de iurisdict. I. R. lib. 2. cap. 10. Defertur porro regnum Boiemiæ vel per successionem, in linea nimirum descendente, vel si per mortem Regiæ sobolis vacet, per electionem: liberam ne illam & legibus solutam, an vero ad certam familiam, puta Austriacam

cam propter transactionem Iglauiensem aliasque pactiones adstrictam, πολυπικωτέροις discutiendum relinquo. Tametsi vero æquissimum erat non Boiemicæ tantum gentis, sed & coniunctarum ei prouinciarum consentientibus electionem fieri suffragiis, cum quod omnes tangit ab omnibus debeat approbari, κοινὴ γὰρ χρεία, κοινοὶ δὲ πᾶσιν, ἔασιν, vt est apud Apollon. Rhod. Boiemi tamen sibi solis hanc prærogatiuam hactenus nulla prouinciarum ceterarum habita ratione vsurpare conati sunt. In bulla sane aurea Boiemica Caroli IV. Imp. & Regis Boiemiæ expresse cautum est, si regnum Boiemiæ vel morte regiæ sobolis vel alio aliquo casu vacare contingat, quod tunc debeat pertinere electio regis ad *Prælatos, Principes, Barones, Nobiles & omnes incolas regni Boiemiæ.* Quam quidem constitutionem non ad Boiemicam tantum gentem, sed ad prouincias quoque ei coniunctas pertinere multis argumentis doceri potest. Primum enim in exordio bullæ duo nominantur Principes Silesiæ *Episcopus Vratislauiensis* & *Nicolaus Oppauiæ atque Ratiboriæ Dux:* qui inter alios regni Boiemiæ & coniunctarum prouinciarum proceres priuilegium hoc à Rege impetrarunt. Verisimile autem est, eas hac re non Boiemis tantum, sed etiam sibi & genti suæ consulere voluisse. Deinde ex diuersis bullæ locis adparet, eam ad vniuersos regni incolas pertinere, siue vt habent Latina illius bullæ verba *ad communitatem regni & pertinentiarum eiusdem:* nominatim autem tribuitur ius eligendi *Principibus regni Boiemiæ:* quod quidẽ de Silesiæ potissimum Principibus intelligi oportere, cum vix vlli tuncalii Principes præter Ioannem Henricum Marchionẽ Morauiæ Caroli Imp. fratrem in Boiemia fuerint, ac ne nunc quidem sint quam Silesii, nemo est qui non videat. Vt maxime vero, quam diligentiam Silesii in impetrando hoc priuilegio olim adhibuerunt, eandem posteri in conseruando minime præstitisse videantur: non tamen omnino iuris sui negligentes fuisse vel ex *Georgii* Regis electione adparet: cui sine suffragio suo factæ tantopere aduersati sunt Silesii, vt illo repudiato alium

sibi Principem eligere neutiquam dubitarint. Quin & *Ferdinando* Archiduce Austriæ electo, quod nulla sui in eius electione esset habita ratio, de Boiemorum iniuria grauiter sunt conquesti: eaque occasione vsus *Ioannes* Hungariæ Rex per literas & legationes Silesios ad defectionẽ à Boiemis sollicitare instituit. Qua re ad *Ferdinandum* perlata missis ad eos Leobschucii tum comitia habentes legatis Ioanne Comite Hardeccio, Wolffgango Barone Rogendorffio, & Ioanne Auersbergio Domino Schonbergæ petiit, vt electionem à Boiemis in se collatam suo suffragio comprobarent. Quod quidem & factum est, magnasque eo nomine *Ferdinandus* Principibus atq; Ordinibus gratias egit, & diplomate insuper ipsis, per legatos Iacobum Episcopũ Vratislauiensem, Georgium Marchionem Brandenburgicum, & Fridericum Lignicensium Ducem Viennam missos id ipsum petentibus, dato cauit, præteritionis iniuriam à Boiemis acceptam eis fraudi non futuram. Ceterum cum veterem illam iniuriam noua cumulassent A. C. cIↃ IↃ CIIX. Boiemi, initis cum Archiduce MATTHIA, qui regnum postea adeptus nunc orbis etiam imperio potitur, de successione in regno pactionibus, quis est qui nesciat, quam graues de eo ad Cæsarem *Rudolfum* querelæ fuerint delatæ? Tametsi vero etiamnum illa sub iudice lis est: hoc tamen obtinuere nostri: vt triennio post, cum Imperator fratri *Matthiæ* Hungariæ Regi Boiemię quoque regnum tradere instituisset, deque conditionibus disceptaretur, Silesii quoque cum à Cæsare ipso tum ab ordinibus Boiemiæ ad consultationes illas Pragam vocarentur, missa eo splendidissima legatione, cuius præcipui duces *Ioannes-Christianus* Illustrissimus *Lignicensium & Brigensium Dux*, *Ioachimus Maltzanius* & *VVeighardus Promnicius* Barones generosissimi. Quibus ex equestri & togato ordine adiuncti VV. Nobil. & Clariss. Dn. *Hermannus Zetteritz* in Langenhelmsdorff & Schetzlar, Dn. *Ioannes à Loss.* in Grambschitz, D. *Christophorus Henscherus* Ducatus Vratislauiensis Pro-Cancellarius & vrbis Syndicus, *D. Andreas Geislerus* cõsiliarius Lygio-Bregensis & Principum atque ordinum Silesiæ Orator, Cæsareis auspiciis paullo post comitiuam Palatinam, quam per hanc occasionem illi gratulor, meritissimo consecutus, *Georgius Rösnerus* senator Suidnicensis, & *Georgius VVirth* Reipubl. Glogouiensis Secretarius. Hi à Cæsare & Matthia benigne auditi III. Non. Maii memorabili exemplo in ipsis regni comitiis Matthiam Regem Silesiæ Ducem adpellarunt. Quoties porro Rex imperium auspicatur, non prius Principis loco habetur, quam iuramento se obstringat, leges se patrias ordinibus moresque & priuilegia seruaturum: quo facto vicissim ipsi fides & obedientia promittitur. Et id quidem nonnisi præsenti, nec alio in loco quam Vratislauiæ, exceptis Suidnicensibus & Iauorensibus, quibus domi iurare datum. Itaque auctor est Aeneas Syluius Vratislauienses requisitos per Boiemiæ Regem homagium facere recusasse, nisi Rex ad se proficisceretur: & Curæus in annalibus Silesię, cum per totum annum frustra cum ordinibus Silesiæ actum esset de præstanda Ladislao fide, neq; illi contra leges patrias in verba Regis iurare vellent, nisi ille coram adesset, tandem profectionem in Silesiam indictam fuisse.

REGES BOIEMIÆ NVPERI, QVI SILESIÆ imperarunt.

IOANNES Comes Lucemburgius, & per coniugem Elisabetham Wenceslai VI. F. Rex Boiemiæ, Dux Silesiæ, ad Cresciacum in Galliis cæsus occubuit X. Kal. Sept. A. C. 1346.

CAROLVS IV. Imp. Rom. Rex Boiemiæ &c. vita functus III. Kal. Decemb. A. C. 1378.

WENCESLAVS Imp. Rex Boiemiæ &c. apoplexia perit a. d. x. Aug. 1418.

SIGISMVNDVS Imp. Rex Hungariæ & Boiemiæ septuagenarius decessit V. Eid. Dec. 1437.

ELISA-

ELISABETHA nupta ALBERTO Austriaco, soceri in omnem dignitatem successori, qui dysenteria extinctus est VI. Cal. Nou. 1440.

LADISLAVS posthumus, Rex Hungariæ & Boiemiæ, Archidux Austriæ (König Laßla) florentissimus formosissimusque adolescens, Pragæ thalamum apparans cita morte tumulum nactus intercidit, duodeuicesimo ætatis ann. IX. Cal. Decemb. 1457. Ei in regno Boiemiæ successit GEORGIVS Podiebradius: quo tamen repudiato Silesia pleraq; in MATTHIÆ Huniadis Coruini Hungariæ Regis verba iuramento se adegit.

ELISABETHA Casimiri Regis Poloniæ vxor.

VLADISLAVS Georgio extincto Rex Boiemiæ inauguratus post Matthiæ fata ad Hungariæ quoq; regnũ & Silesiæ Ducatũ peruenit, defunctus Budæ, IV. Eid. Mart. 1516.

LVDOVICVS Rex Hungarię & Boiemiæ, cum Solimanno ad Mohaczium oppidum acie concurrens, suorum temeritate vitam cum regno amisit, vigesimum ætatis annum agens A.C. 1526.

ANNA Ludouici fratris heres vnica FERDINANDO Imper. Regi Hungariæ & Boiemiæ, Archiduci Austriæ nupta: qui A.C. 1564. VIII. Cal. VItil. placide in Deo obdormiuit, cum LX. annos IX. menses vixisset, & pacem in imperio tam in rebus profanis quam sacris stabiliuisset.

MAXI-

MAXIMILIANVS Imper. Rex Hungariæ & Boiemiæ, amabilis dominator, cum vestigiis paternis insistens rara prudentia & æquitatis laude imperium administrasset inter præclaros conatus pie & beate obiit IV. Eid. VIIIbr. A.C. 1576. Ratisbonæ in conuentu Principum, nondum quinquagenarius.

RVDOLFVS II. Imp. Rex Hungariæ & Boiemiæ, vultu & gestu grauis, iudicio autem singularis Princeps, fato oppressus subito ad XX. Ianuar. inter horam 6. & 7. matut. Pragæ: cum annos quinquaginta nouem & sex menses vixisset.

MATTHIAS Imperator Romanorũ Augustissimus, Rex Hungariæ & Boiemiæ, Archidux Austriæ, Dux Silesiæ &c. Cui vita & felicitas.

A Rege primum sibi in Silesia vendicat locum *Præses Prouinciæ*, siue *ProRex*, qui *supremus præfectus* siue *Capitaneus* vulgo appellatur, est quasi ἔξαρχος quidam vice Regis vniuersæ prouinciæ cum imperio & auctoritate præest. Ad eius officium pertinet, conuocare ordines, quoties opus est, mandata Regis exequi, Principes & Ordines dissentientes ad concordiam redigere, rebelles aut contumaces ad officia cogere, & qualiter publicæ disciplinæ ac læsis tenuioribus consulatur, prouidere, denique vt pacata sit & quieta vndiq; prouincia, curare.

D. Ferdinando imperante grauis controuersia orta est inter Boiemos & Silesios, hisne an illis præfectura Silesiæ deberetur. Et Boiemi quidem è Vladislai Regis priuilegio non licere vlli nisi Boiemo Silesiæ præfecturam gerere, contendebant. Silesii contra eiusdem Regis priuilegium, idque duodecim annis, quam quod Boiemis indultum est vetustius, tum genus seu nobilitatem & dignitatem suam iactabant, neque vllo modo se passuros, exterum apud se rerum summæ præesse asseuerabant. Quæ quidem controuersia adeo fuit agitata, vt gladius litis ar-

 biter

biter futurus crederetur, atque ad turbas, vtri ſque exitioſas, res ſpectaret: ſed quas à *Ioanne Dubranio* Epiſcopo Olomucenſi auctore hiſtoriæ Boiemicæ legato regio magna dexteritate fuiſſe ſopitas, qui vitam eius ſcripſit, teſtatur.

Matthia ſane Hungariæ Rege rerum in Sileſia potiente duos exteros *Stephanum de Zapolia* Comitem Scepuſienſem & *Georgium Steinium*, ſiue Auſtriacum illum, vt annales patrii habent, ſiue Marchiacum, vt Fabricius in originibus Saxonicis innuit, Sileſiæ præfecturam cum imperio geſſiſſe diplomata & hiſtoriæ loquuntur. Verum aliud deinceps conſtitutum eſt à Vladislao Hungariæ & Boiemiæ Rege in priuilegio illo Principibus atque ordinibus Sileſiæ Anno Salutis cIↃ CCCCXCIIX conceſſo, quod priuilegium commune adpellatur (**das gemeine Landesprivilegium**) in quo expreſſe cautum, ne ſumma Sileſiæ præfectura cuiquam alii quam Sileſiæ Principi committatur. Sic enim habent verba: **daß wir noch vnſere rechte nachkommen König zu Böheimb den jetztgemelden Landen keinen andern Obriſten Hauptmann nicht ſetzen noch geben wollen / dann allein einen auß vnſern Schleſiſchen Fürſten.** Cuius ipſius priuilegia præcipua capita ad patriæ libertatem ſpectantia Boiemi Anno Chriſti cIↃ IↃ XLVI. impugnare atque conuellere conati fuerunt, egitque cauſſam illorum *D. Philippus Gundelius Patauienſis*, oratione iam multo ante præmeditata. Sed fruſtra diſertiſſima & neruoſa oratione, quæ etiamnum in manibus hominum verſatur, præter omnem exſpectationem ex tempore grauiter & feliciter coram D. Ferdinando patriæ partes defendente *VVolffgango Bockio* nobili Sileſio, & Lignicenſium Ducis Cancellario, ſubminiſtrantibus actioni & defenſioni argumenta ac priuilegia Vratislauienſibus: & huc vſque Sileſiæ Principibus ius ſuum ſine vlla interruptione continuantibus. Series ſupremorum Sileſiæ præfectorum à tempore priuilegii illius impetrati hæc eſt:

A.C.

A.C.

1490 CASIMIRVS Dux Teſchinenſis vtriuſque Sileſiæ Præſes. Mech. Cur. Priuil. Comm. Tranſact. Colovvrat.

1504 SIGISMVNDVS Glogouiæ & Oppauiæ Dux à Vladislao fratre vtrique Sileſiæ cum imperio præfectus, **Obriſter Königlicher Statthalter in Schleſien.** Priu. Glog. Cur. Crom.

1507 IOANNES V. Epiſcopus Vratislauienſis in locum Sigismundi, cũ is Alexandro fratre vita functo Rex Poloniæ electus eſſet, ſupremus Sileſiæ præfectus in comitiis Principum atq; ordinum Bregæ habitis creatus.

1509 Eo abdicare iuſſo CASIMIRVS Teſchinenſis vtriuſque Sileſiæ præfecturam recuperat.

1516 CASIMIRVS Teſchinenſis ſuperioris } Sileſiæ præ-
FRIDERICVS II. Lignicenſis inferioris } fectus.

1524 CASIMIRVS Teſchinenſis ſolus vtriuſque Sileſiæ Capitaneus.

CAROLVS Monſterbergenſis Dux ſupremus Sileſiarum præfectus.

Ab huius obitu præfectura vtriuſq; Sileſię perpetua fere ſerie penes Epiſcopos fuit Vratislauiẽſes, è quib. hi ordine numerãt.

IACOBVS à Salza.

BALTHASAR à Promnitz.

CASPARVS à Logavv.

MARTINVS Gerſtmannus: cui quidem Sileſiæ præfectura conceſſa fuit, antequam eius electio à Pontifice confirmaretur. Catal. MS. Epiſcop. Vratisl.

ANDREAS Ierinus.

PAVLLVS Albertus.

IOANNES à Sirſch.

Quo defuncto, Principes atque Ordines Sileſiæ grauiſſimis de

cauſſis à Cęſare poſtularunt, vti deinceps perpetuis futuris temporibus præfectura Sileſiæ indigenis & ſecularibus Principibus ſolis, quibus ea iure debita, committeretur. Tametſi vero Reuerendiſſ. & Sereniſſ. Archidux Auſtriæ Epiſcopus Vratislauienſis valde obniteretur, & Epiſcopos ab ea dignitate non eſſe excludendos contenderet, cum priuilegium Vladislai Regis ab Eccleſiaſticis & ſecularibus Principibus pariter ſit impetratum, eoq; caueatur, ne cuiquam alii quam Sileſiæ Principi præfectura committatur, & negari non poſſit, ſe non modo Sileſiæ Principem eſſe, ſed principem etiam inter Principes locum tenere: nihilominus tamen in Principum atque ordinum poſtulata Cæſar poſt longas concertationes tandem conſenſit: cumque diplomate ipſis ea de re cauiſſet, CAROLO Monſterbergenſium & Olsnenſium Duci, mitiſſimo ac ſapientiſſimo Principi, ſupremam Sileſiarum præfecturam, eo vſq; vicario nomine adminiſtratam, pleno iure confirmauit: quam vt Princeps illuſtriſſimus ad DEI omnipotentis honorem, Reipub. ſalutem, ſuumque decus in multos porro annos feliciter gerat, faxit ille Rex regum, & Princeps principantium.

Principes porro Sileſiæ tam Eccleſiaſtici quam ſeculares ſuis in ducatibus & territoriis ampliſſimam poteſtatem, licet Boiemiæ Regi obnoxiam, habent: & arbitratu adeo ſibi ſuo conſiliarios cum equeſtris ordinis, tum togatos & iurisperitos legunt præfecturaſque ac magiſtratus mandant. Quanquam illis etiam ducatibus ſua cuique priuilegia & conſuetudines, in quibus Principes haud facile quid immutandum ſibi cenſent. Baronibus liberis eadem fere, quæ Principibus, toto diſtrictu Baronatus, poteſtas eſt.

Ceteris Ducatibus, qui Regi Boiemiæ immediate ſubiecti, ex arbitrio Regis rectores ſiue gubernatores peculiares vulgo Capitanei, cum imperio præficiuntur, tum in plebem tum in equeſtris ordinis homines iuriſdictionem habentes, ſed certis legibus ac finibus circumſcriptam. Ad horum munus pertinet,

net querimonias ſubditorum cognoſcere, conuentus nobilitatis, quoties neceſſitas poſtulat, conuocare, humiliores à potentiorum iniuriis defendere, in delinquentes animaduertere, res iudicatas executioni mandare, tranquillitatem publicam in vrbibus & agris præſtare, & ne quis in præfectura ſua motus exiſtat, prouidere. Quo pertinet etiam tutorum & curatorum datio ac confirmatio, & ſimilium actuum expeditio: vt nimirum coram iis fiant renunciationes, pacta dotalia, donationes propter nuptias ſiue dotalitia, ceſſiones, teſtamenta, emptiones, venditiones, inſinuationes, & id genus alia iuriſdictionis vel magis voluntariæ ac honorariæ, vel certe ſummariæ. Oportet autem præfectum eſſe nobilem, & agros ac fundos proprios in ea ipſa præfectura, quam gerit habentem. Neque ignobili neque externo conferri præfecturam fas eſt. Habent item ſinguli fere Ducatus Cancellarios ſuos, & Secretarios vel ſcribas, quos vocant, terreſtres ſiue prouinciales: qui diplomatibus, edictis, ſententiis, placitis comitialibus & aliis ſcripturis conficiendis atq; ſignandis præſunt.

Plebs vrbana & ruſtica partim Regi Boiemiæ, partim Principibus, partim Sacerdotibus, partim Baronibus & Nobilibus parent: regunturque à ſuis quæque dominis, eorumve præfectis ac procuratoribus. Sed præter hos tamen plebs quęque oppidatim & pagatim proprios habet ex corpore ſuo magiſtratus. Ac ciuitatibus quidem gubernandis præſunt Decuriones ſiue Senatores (Buleutas cum Plinio iuniore adpellare liceat) qui ſtatum vrbis tuentur ac de Reip. ſimul conſultant, proque ciuitatis aut magnitudine aut in frequentia & paruitate varia inter ſe politiæ munia diſtributa habent. Sunt enim præfecti ærarii, ædiles, viocuri, pupillorũ ac viduarum patroni, ſacrarũ ædium curatores, eleemoſynæ præfecti, ſcholarum præſides, præfecti agrorum & pagorum, foreſtarii, & ſi quæ ſunt alia munera publica: quæ in oppidis ac vicis minoribus communiter fere à decurionibus curantur. Eorum porro non idem vbiq;, certus tamen

men est numerus: quibus qui præsidet vernacula lingua Burgo-magister, vulgo Consul dicitur, etiam minorum oppidorũ, quod cum V. CL. Scipione Gentili rideat fortasse aliquis, vt in simili re Otacilium quendam Martialis, quod pauperrimus cũ Torquato summe diuite & splendido se conferret.

Consul Totquatus: vici fuit ille magister,
Nec minor in tanto visus honore sibi.

Officium autem ciuium magistri est, collegas, quoties opus est conuocare, pecunias publicas in vsus necessarios disponere, operum publicorum munera singulis demandare: in rebus insuper vrbanis edicere, decernere, vocare, in custodiam per prętorem mittere, & ius quoque ac sententiam in causis ciuium controuersis dicere ac pronunciare, sed vt arbitrum fere non vt iudicem: & toti denique politiæ ac statui vrbano consulere, atque eam in rem curas suas ac cogitationes omnes intendere. In primariis quibusdam vrbibus plures vno sunt consules, iiq; per vices fere magistratum gerentes. Creant autem hos magistratus vel domini eorumve præfecti, vel ipsi ius habẽt ex his, qui inter opidanos virtute atq; opib. præcellunt, quos volunt, in sua collegia cooptandi, quoties vacat locus: iidemq; alicubi temporariam, alicubi perpetuam habent administrationem. Vtra autem administrationis ratio pensior, & ex vsu magis Reip. sit, in vtrãque partem pulchre à Politicis disputatur, sed quam quæstionẽ excutiendi non hic Rhodus saltusque.

Decurionibus præsto sunt in Rebuspub: maioribus Syndici legum & iurisperiti: qui id præcipue curæ habent, vt Senatui non tantum in iure dicundo, sed & alias consilio adsint, & eiusdem Oratores adeoq; vniuersitatis veluti aduocati, & si vsus postulet, etiam legati audiant: tum Secretarii, & Scribę siue Notarii, cum suis etiam adiutoribus siue Vicariis, si opus sit: qui cum priuatas tabulas, siue vt loquuntur instrumenta contractuum ac testamentorum, nuptiarum, transactionũ, donationum cõscribunt, tum iudicum sententias in acta redigunt, scribendis

bendis epistolis & custodiendis decretis magistratuum ac Senatus consultis aliisque publicis chartis toti vacant. Et Notariorum quidem munus in Silesia lucrosum iuxta & honorificum: neque ad id quisquam admittitur, nisi honesto loco, & fide atque industria cognita: quod necesse est plerorumque consiliorum eum esse participem, in minoribus præsertim opidis, in quibus qui magistratum gerunt, homines magnam partem imperiti & idiotæ tantum fere sapiunt, quantum hi nostri γεφυραιοις velint.

Potestate decurionibus proximi sunt iurati iudices siue Scabini, qui à decurionibus vt plurimum leguntur, & iudiciis tum pecuniariis tum etiam capitalibus præsunt: quorum princeps ab aliis prætor, ab aliis scultetus (quasi **Schuldheiß**, quod noxę debitiuę exactor esse, pœnas irrogare, ac multas ab iis, qui deliquerunt, exposcere soleat) ab aliis Aduocatus, vulgo **Statvogt** vocatur.

Habent item in qualibet ciuitate & opido singulæ opificum societates & contubernia decanos siue tribunos suos, & his adiunctos aliquot seniores. In pagis gens rustica scultetos habet, qui iure Saxonico **Bawermeister** vocantur: & vel hæreditarii sunt (**Frey vnnd Erbschultzen**) qui hodie rariores ob dominorum auaritiam, scultetis amotis agros illorum prædiis suis quo iure quave iniuria adiicientium, vel dominorum arbitratu constituuntur: quibus adiuncti aliquot exaratorum numero Scabini.

CAPVT OCTAVVM.

Iudiciorum in Silesia ratio.

QVemadmodum ordines hominum, itemq; magistratus, ita iudicia quoq; Silesiæ aut Ecclesiastica sunt aut profana.

Ecclesiastica, quæ coram iudice Ecclesiastico agitantur, de rebus pręcipue spiritualibus, veluti de matrimonio, de beneficiis

ficiis Eccleſiaſticis, & his annexo iure patronatus &c. Inter ea autem præcipuum eſt curię Vratislauienſis Conſiſtorium: quo quæ cauſſæ pertineant, ex iure Canonico conſtat, neque opus eſt pluribus hic inculcare. Quandoquidem vero, vt ſupra memorauimus, Principes Sileſiæ ac ciuitates maiorem partem Pōtificis Romani iugo excuſſo Eccleſias iuxta ſacrarum literarum doctrinam exemplo ſociorum Auguſtanæ confeſſionis in Germania reformarunt: Principes etiam plerique longo iam tempore peculiaria habuere cōſiſtoria ſiue Synedria: in quibus ſubditorum ſuorum cauſſæ matrimoniales ad Epiſcopale alioqui dicaſterium ſpectantes diſceptarentur: quę conceſſa ſuperioribus annis per conſtitutionem Cæſaream (quam non inficete quis adpellare Palladium Sileſiæ poſſet) τῆς ἰδίας θρησκείας παῤῥησίας nō modo confirmata ſunt, ſed & nouorum cæteris Statibus inſtitutio permiſſa eſt.

De litibus decimalibus, quarum cognitio ex canonum præſcripto ad forum Eccleſiaſticum pertinet, cum clericis ob ſacrum & ſpirituale munus ſint conceſſæ, ſeculares in Sileſia iam ab antiquo cognoſcunt. Itaque ſi quis ex ordine Eccleſiaſtico ſeculari alicui aut laico controuerſiam velit mouere de decima, vel maldrata, vel fertone (quæ quidem in locum decimarum ſucceſſerunt) apud ſecularem iudicem actionem ſuam inſtituere cogitur.

Iudicia profana quod attinet, ſiquidem inter Ordines ipſos lis exiſtat, aut alius quiſpiam ſiue ſit nobilis ſiue ignobilis, ſiue communitas ſit ſiue priuatus, ſiue ſubditus ſiue extraneus, cum vno aliquo ex ordinibus contendat: Præfectus ſupremus controuerſiam, ſi poteſt componit, ſi quæ vero difficiliores oriantur controuerſiæ, de quibus aut prę fectus ferre ſententiam aut litigantium alterutra pars acquieſcere ſententiæ nolit, tum ad ſupremum tribunal, quod Vratislauiæ ex ſtatibus prouincię eorumq; legatis ac conſiliariis legum ac morum peritis bis quotannis conuocatur, & velut vinculum eſt ac neruus publicæ tran-

tranquillitatis (das Ober oder Fürſtenrecht) cauſa refertur. Cōceſſum eſt hoc iudicium Ordinibus Sileſiæ à Vladislao Rege A. C. cIↃ cccccxc IIX: eiusque tanta auctoritas, vt non ſolum ἀνυπεύθυνον ſit, & pro verſiculis Guntheri ex iure quodam maieſtatis poſſit *claudere iura manu*, ſuccisâ ſublataq; omnibus appellationis vlterioris licentia, nec non & grauiſſima in eos conſtituta pœna, qui ſententiæ intra duos ab eius publicatione menſes non paruerint & executioni ſeſe oppoſuerint: verum ipſe etiam Bojemiæ Rex coram illo & conueniat alios, & viciſſim ſe conueniri patiatur. Sic enim diſerte in Vladislai priuilegio cautum eſt. **Wo wir als ein rechter König zu Beheimb oder vnſer nachkommene König auff jhr keinen Schleſiſchen Fürſten oder Erbſeſſen geiſtlichen oder weltlichen perſonen / in welcherley Sache das were / auch Grund oder Bodem betreffendt / Auch hinwiderumb die Fürſten vnd Erbſeſſen deß Landes auff vns oder vnſer Nachkommen vmb Grund / Bodem / oder das ſonſt jhre Freiheit oder Priuilegia angehen möchte / der Schleſien betreffendt / oder inſonderheit ein Fürſt auff den andern zu ſprechen / das allein ſoll beſchehen vor den Fürſten vnd Ständen deß Landes vnnd jhren Räthen / die ſie neben ſich ziehen würden in Breßlaw in der Hauptſtatt auff vnſerm Königlichen Hoffe.** Quod ipſum poſtea Ferdinandus & ſubſequentes Reges peculiaribus diplomatibus Principibus & Ordinibus Sileſiæ confirmarunt. Exempla quidem ſunt rariora, cū nemo ſit, qui Regem aut Principem ſuum facile in ius vocet? nec tamen nulla, nec quidquam quo minus id fiat prohibet. Neque enim ea re de maieſtate quidquam ac dignitate Regis delibari exiſtimandum eſt. Nam & Imperator, qui nullum olim agnoſcebat iudicem, vt qui ex lege imperii legibus atque adeo iudiciis eſſet ſolutus, pro ratione habens voluntatem, coram Comite Palatino Rheni S. I. Arhidapifero Electore (quæ ſingularis eſt inclytæ ac præcelſæ illius domus Palatinæ prærogatiua ſummiq; honoris argumentum) conueniri ſeſe hodie nulla cum maieſta-

tis augustæ læsione vel iactura patitur. Quod quidē cum consuetudine primum sine certa lege introductum esset, per nobilissimam deinceps Constitutionem Caroli IV. Imp. quæ Chrysobulla siue Aurea Bulla καθ' ἐξοχήν vocatur, confirmatū in legem abiit. Eodem modo Galliæ Reges supremæ curię (parlamentum Gallico idiomate nuncupatur) regni sui, quæ est Lutetiæ Parisiorum, eaque vetustissima & primo vnica in regno, ad cuius exemplum reliquæ posterioribus temporibus institutæ, se subiecerunt: cuius ob id decretis ipsi quoque parent, & in controuersiis non raro caussa cadunt: quemadmodum notat alicubi Clarissimus Godofredus, & ante eum Claudius Sesellius eximia de Republica Gallorū promulgata jam olim dissertatiuncula. Sic in Aragonia Iustitia Aragonica, in Anglia Iusticia Magna, in Dania vniuersus Regni senat⁹, si Regi cū alio lis sit, iudicare solet. Sic deniq; Archiduces Austrię cum à iurisdictione imperij sint immunes, ortis controuersiis aliquē è vasallis iudicem constituunt, corā quo ius accipiant, de quo videatur Austria Cuspiniani & Caroli V. Imp. Constitutio **vō Gerechtigkeit deß Hauses Osterreich** inter statuta & rescripta imperialia ab Haiminsfeldio edita. Ne quid de Saxonię dicam Electoribus, qui coram suprema Electorali Lipsensi curia de bonis & reditibus sui ærarij siue Camerę, vt loquuntur, sese conueniri patiuntur.

In hoc porro Silesiæ tribunali secus quā in aliis citationes non singulos ad actus, sed ad totam caussam (qui & Cameræ Spirensis stylus) indistincte decernuntur: quę tamen reo tribus ante iudicij diem mensibus insinuandæ. Ita enim in Constitutione de pace publica expresse sancitum. Quod cū anno salutis CIↃIↃLXVII. à Carolo Christophoro Duce Monsterbergēsi & Olsnēsi in caussa aduersus D. Maximilianū Imp. nō esset obseruatum, mādatariiq; Cæsarei de eo excepissent, Reuerendiss. Dn. Episcopus & ceteri adsessores supremi iudicij eos ab instātia iudicij absoluerunt: reseruata tamē actori potestate de nouo, si vellet, agendi, & litis expensis cōpensatis.

Illud quæsitum memini, an Principes & alij Status Silesię etiam in causis criminalibus coram supremo tribunali conueniri possint. Et dubium non est posse. In Constitutione enim de pace publica diserte cautum, Principem criminis alicuius insimulatum de eo coram prouinciæ tribunali respondere debere. Nec desunt etiam eorum exempla, qui de criminibus in hoc iudicio accusati. In annalibus quidem Silesiæ proditum est, Nicolaum Principem Oppolienſem propter vim Casimiro Teschinensi & Episcopo Vratislauiensi in publico ordinum conuentu illatam, Nissæ sententia à iudicibus vrbanis pronunciata capitali supplicio adfectum. Verum eo tempore Constitutio de pace publica nondum fuit promulgata: nec desunt, qui Vladislaum Regem permoleste tulisse tradant, quod ordines se incōsulto de capite Principis pronunciassent, eaq; in re cōmisissent in leges Saxonicas, in quibus sancitum, **daß vber der Fürsten Leib vnd jhr Gesind niemand mag richter seyn/dañ der König allein. Landr.** lib. 3. art. 55.

In Ducatibus caussas prouincialium suorū priuatas, quę sine strepitu iudicij de simplici & plano cōponi possūt, cognoscunt & diiudicant pfecti: grauiores cōtrouersias iudiciis prouincialibus reseruantes, quæ statis temporib. in certis opidis quotānis exercentur, per scabinos (sic. n. adpellantur iudices siue adsessores iudicij) ex ipsa nobilitate delectos. Sunt aūt varia illorū genera, vt aulica, prouincialia, curialia, duodecimviralia, **Hofrecht/ Landrecht/ Mannrecht/ Zwelferrecht/** &c. quę qualia sint ex constitutionib. ac priuilegiis singulorū ducatuū videre licet. Prouocatur inde, si litigantes sentētia lata sibi minus satisfactum arbitrentur, ad Regem Boiemiæ. Glogouienſibus tamen, Iauorienſibus, Oppolienſib. & Retiborienſibus extremæ prouocationis ius inter iurā maiestatis tam præcipuum specialibus priuilegiis remissum, ita quidem vt sententiæ in comitiis illorum latę prouocationum aleis remorisq; minime sint obnoxiæ. Quæ quidem priuilegia fuere, qui ad supplica-

tionem quoq; producēda existimarēt, secuti glossam in l. fin. C. vt. lit. pend. & Dd. quorundā opinionē, qui prohibita appellatione supplicationis quoq; ad Principem aditū ligantibus præclusum censent. Verum aliud placuit Regibus Boiemiæ: idq; non tantum maiestati Principis, sed & iuri morique prisco Romano & communi interpretum sententiæ conuenit. Habet & equestris ordo in Silesia cum in causis iniuriarū tum in nobilitatis probatione peculiare iudiciū, quod Equestre vulgo vocāt, das Ritterrecht/ itemq; die Ehrentaffel: de quo cum singularis idemq; elegantissimus exstet tractatus vernacula lingua conscriptus, nō est cur operam hic meam aliquis desideret.

In vrbibus, quarum pleræque vel Principum concessu expressoq; priuilegio, vel præscriptione hominum memoriam excedente non simplicē modo iurisdictionem, sed & merum imperium siue iurisdictionem superiorem exercent, iudiciorum nō vna atq; eadē ratio. In vniuersum tamē iudiciaria potestas parim penes Burgomagistrū & decuriones, partim penes Aduocatum & Scabinos iuratos: quorum hi processum iudiciarium accuratius seruant, illi summariter plerumq; sine consueta iudicij forma procedunt: & quidem parui momenti causas etiam ciuium magister solus cognoscit. In maioribus Rebuspub. certis controuersiis certa iudicia constituta videmus: vt nimirū alia sint debitorum, alia iniuriarum iudicia, alia ciuium, alia peregrinorum, alia pupillorum &c. causis destinata. Sed & magistri contuberniorum, vt statuta condere non prohibentur de rebus ad ipsorum collegia pertinentibus, ita in nonnullis Silesiæ cuitatibus de causis leuioribus sui generis opificum summariam cognitionem habent.

In pagis iudicia simplicissima, quæ sine strepitu & figura iudicii vel à dominis pro iurisdictionis, quā obtinent, ratione (moribus enim sæpe penes alium est iurisdictio superior, penes

nes alium iurisdictio simplex) eorumve præfectis & procuratoribus exercentur, vel à scultetis, qui cum adiunctis scabinis in minoribus & facilioribus negociis ius dicunt, & iudicia humiliora obeunt.

Ab his autem iudiciis omnibus tam vrbanis quam paganis, seruatis gradibus & ordine iuris prouocare fas est: non obstantibus etiam quorundā locorum statutis. Appellationis quippe beneficium statuto tolli non posse vulgo receptum. Principis scilicet est iudicia ἀνυπεύθυνα indultis ad hoc priuilegiis constituere: nec subditis licet legem facere aut contractum in præiudicium superioris: vt vt in suum alias possint.

De prouocationibus, quæ ad Regē Boiemiæ fiunt, Senatus Appellationū Regius, qui Pragæ residet, cognoscit. Solebant quidē olim Silesię magistratus, vbi difficultatē res habebat, ne temere diriberēt, cum à Scabinatu Donēsi, tum à Magdeburgēsi vt plurimū auditorio sententias petere: q. vt in cōmune sibi ius diceret, siue nobili antiquitus Magdeburgēsis senatus æquitate, ad quē è lōginquis aliis etiam locis hac causa priscis temporibus itum, siue quod saxonici iuris custos esset, siue demum alia de causa consenserant. Sed hactenus pro mea quidem opinione, vt honorariū id esset arbitrium, nec prius plenæ sententiæ vim quam à iudice enunciatum nanciscerētur. Ceterum Magdeburgēsibus à Carolo V. Imp. proscriptis D. Ferdinandus Rex, ex vsu Reipub. futurum ratus, vt certum in ipsa Boiemia causis & litibus suorum populorum diiudicandis tribunal siue parlamentum esset, annis ab hinc quasi sexaginta quatuor, nouum consessum virorum qua genere qua doctrina eminentium in arce Pragensi constituit & ordinauit: ad quem non modo ex Boiemia & coniunctis ei prouinciis prouocationes omnes, quibus casibus ea licitæ, deuoluerentur, sed & in prima instantia sententiæ inde definitiuæ (informations enim causa ad quæcunque tribunalia ire licitum) peterentur. Et sane in plerisque Silesiæ iudiciis ita re-

ceptum, in rebus præsertim alicuius præiudicij aut momenti & quæ scripto disputandæ veniunt, vt cognitione causſæ habita, & actione, exceptione, replicatione, duplicatione (vltra quam non proceditur neque aliud quam conclusio admittitur, nisi iudici ex iusta causſa aliter videatur) instrumentisq;, quibus partes ius suum hinc inde probare conantur, vtrimq; prolatis, acta vniuersa Cameræ Prouocationum, vt habita super iis deliberatione Consiliarij pronuncient, mittantur, **Daß die acta deroselben Sachen/ so an denen Orten im Recht anhengig / gegen Prag in die Appellation zum vorsprechen geschicket werden.** Quæ quidem sententiæ ad consultationem Senatus Appellationum latæ non concipientium sed iudicis competentis nomine vt plurimum publicantur: & neq; iudex neq; partes cõtra illas facere quidquam possunt, nisi per viam Appellationis vel Leuterationis.

Cum superiore illo Germaniæ tribunali, q̃iam Cameræ Spirensis nomine celebre est, nihil Silesiis negocij: neque causſam vllam Silesiacam ab illo Senatu dijudicatam meminisſe quisquam potest. Extra Appellationem Rex Boiemiæ causſas, quę apud ordinarios iudices tractantur, è Silesia euocandi potestatem non habet: idq; propter speciale priuilegiũ Principibus & ordinibus iam olim concessum, **daß ein jeder bey seinem ordentlichen Rechten gelassen werden solle.** Quod tametsi valde salubriter constitutum, fuit tamen tempus, cum causſarũ auocationes admodum inciperent frequentari, grauiter ea de re conquerentibus Principibus & ordinibus prouinciæ. Vtitur porro omnis ferme Silesia in rebus quidem profanis iure Saxonico: cuius licet in multis vere saxei & nimis duri, ea tamen multis retro seculis auctoritas, vt non solum per ampliſſimam Saxoniæ regionem obseruaretur, sed ad alias etiam ditiones & gentes circumvicinas, Lusatiam puta, Silesiam & Poloniam, cuius incolæ multis in locis hodieque ex eo iure sententias à iudicibus Polonis accipiunt, extenderetur.

retur. Quod si quid comprehensum illo non reperiatur, aut comprehensum quidem sed vsu minime receptum (sic enim magni iuris Saxonici interpretes censent, leges Saxonicas eatenus tantum locum obtinere, quatenus vsu sunt comprobatæ, omniumque adeo earum auctoritatem à consuetudine magis dependere, quã ex iis, quæ de hoc iure scripta extãt) ad ius cõmune Romanorũ siue Cæsareũ recurritur. Verũ vt vnicuiq; genti sue quædã leges & instituta viuendi, sẽm illud Græcorum adagium νόμος τῆ χώρα: ita & Ordines Silesiæ, tum singuli ducatus peculiaria, inter se autem communia habent instituta, quæ Policei- & **Landiß ordnungen** h.e. terræ constitutiones vocantur: in quarum istius Polonici iuris, quo vsa fuit antiquitus Silesia non obscura alicubi adparent vestigia: præterea ciuitatis ius municipale, quod ex statutis & legib. quas ciuitates sibi singulæ condere sunt solitæ constat. An autem statuta ciuitatum valeant, sine confirmatione Principis, distincte aut accurate dicere nõ sit huius loci: neq; quam profiteor artem cum ostentatione hic venditare mihi animus.

CAPVT NONVM.

Comitiorum itemque Fisci ratio.

PRIVATO iuri inter Principes singulos & ordines disceptando supremum illud tribunal, de quo diximus, institutum est. Verũ quę ad rem publicã & ius vniuersum pertinent, vt cum de pace, de bello de ratione & forma defendendæ, si qua vis inferatur, prouincię de collectis aut tributis vel in belli sumptus aliosve vsus publicos vel in Principis (vti noua subditis onera imponere vel exactiones indicere nisi de ordinum consensu non licet, sed si quo tributo opus habet, precibus apud Ordines id illi ambiendum, atq; inde recepta illa Protestatio & literæ, quas vocant Reuersales ne con tributio decreta Principum ceterorumque Ordinum priuilegiis & immunitatibus vllo modo obsit, aut præiudicium vllum adferat) gratiam scisscendis, de fœderibus ineundis,

de

de legibus condendis aut abrogandis, & ceteris huiusmodi pro varia rerum emergentium copia agitur: de iis in Principum atque Ordinum diætis siue comitiis deliberatur. Quæ quidem Comitia licet à Boiemiæ Rege, quo tempore commodum videtur, indici soleant: Principes tamen & Ordines Silesiæ, etiam ante impetratam ad eam rem Regis veniam, in concilium eundi, si quid subitum & fortuitum incidat, ius sibi esse putant. Et ita aliquoties hactenus factitatum est: cum eo tamen temperamento, vt simul atque comitia indicta, Cæsarea Maiest. de iis certior redderetur, caussæq; propter quas Ordines festinanter conuocari oportuerit, explicarentur. Sunt autem duplicia Comitia, vel Vniuersalia vel Particularia. Vniuersalia sunt Principum & Statuum prouinciæ omnium, & **Fürstentäge** vulgo facta à potiori denominatione vocantur. Particularia, quibus pars tãtum Statuum, necessitate sic postulante, conuentum agit, vulgo **Zusammenkünffte der nehist angesessenen Stände.**

Statuum in Silesia ordines quattuor censentur: primus Principum: alter Baronum illorum, qui κατ' ἐξοχὴν liberi adpellantur: tertius Nobilium in Ducatibus Regi immediate subiectis (**den Erbfürstenthümbern**) è quibus singulis bini vel plures etiam legati generis splendore & vicorum ditione præcipui ad comitia ablegantur: quartus Ciuitatum eorundem ducatuum: quæ & ipsæ pro se procuratores siue legatos plures mittunt, ciuium plerumque magistratus, aut Senatores, aut adsessores iurisperitos, iis de rebus, quæ in cõsultationem veniunt, cum ceteris Statibus in medium consulturos. Principum subditi inter quos Baronum etiam & nobilium præstantes familiæ, nec locum in consessu nec dictionem sententiæ vllam habent. Soli intersunt Principes vel eorum legati, ac deinde de iis, quæ ibi constituta sunt, ad suos referunt, de tributis præsertim, quæ summa plerumque est comitiorum. Nec temere iis dissentire licet à Principum suorum & ordinum ceterorum sententia. Forma

Forma ac modus habendorum comitiorum & statuendi in iis, ac concludendi talis est. Supremus præfectus literis ad Ordines missis, quis dies & locus comitiis futurus sit, edicit. Quibus literis redditis Principes & ordines vel ipsi se sistunt, vel legatos suos siue nuncios mittunt: vniuerse potestatem illis facientes curandi ea, quæcunque in communi è Republ. fore videbuntur. Vbi conuentum est, legati, si qui ad comitia missi, Regij per certas personas ab ordinibus ad hoc deputatas ex hospitio auocantur, & officij causa in locum comitiorum honorifice deducuntur, legationisque suæ ac mandatorum ante omnia fidem faciunt: tum propositio oretenus ab vno legatorum facta mox etiam de scripto legitur, atque vt de postulatis Regis cæterisque rebus propositis in medium omnes consulant, quæque in commune profutura existiment, ex animi sententia proferant admonentur. Peracta rogatione status in classes siue consilia diuisi de capitibus propositis seorsim consultant. Sunt autem consilia quatuor. 1. Principum & Baronum coniunctim. 2. Nobilium. 3. Ciuitatum. 4. Supremi ipsius Silesiæ Præfecti, qui comitiorum director est, & vota reliquorum colligit. Habitis deliberationibus rursus similiter coniunguntur: ibique principes ac Barones pro dignitatis gradu & suffragiorum prærogatiua sententiam suam primo loco aperiunt: quæ si cæteris placet, eam approbant: sin minus, suas quoque sententias suo quique loco indicant. Quod si omnium ordinum vel maior pars consentiat, ex ordinum parte confecta res est. Sin minus, supremus præfectus vel voto suo controuersiam dirimit, vel validis ad persuadendum vtens rationibus, vt status in id, quod Princeps rogauerit, aut alias ex vsu videtur Reipubl. consentiant, pro ratione muneris summam adhibet diligentiam.

Quæque ita concluſa sunt, literis consignata in principum ac procerum & ordinum prouinciæ corona præsentibus legatis publice recitantur: tum sigillis munita iisdem commis-

fariis, vt ad Regiam Maiestatem referant, traduntur: denique vt omnibus innotescant in prouincialibus ducatuum conuentibus publicantur.

Locus habendorum comitiorum apud maiores nostros nullus fuit certus aut perpetuus, nostra vero ætate, non lege aut decreto vllo, quod sciam, sed solo vsu diu seruatum est, vt publicus senatus Vratislauiæ vt plurimum in eius vrbis curia habeatur. Multas enim hæc ciuitas ad publicos conuentus illic peragendos habet commoditates. Vrbs ipsa ædificiis optime exculta, diuersoriis lautissimis referta: situs loci amœnus: magna hominum diuersis ex regionibus frequentia. Itaque vicini lucri & quæstus studiosi omnis generis annonam magna copia aduehunt: vnde fit, vt vitam nostram quidquid instruit ornatque, & quæ singula alibi in pretio sunt, tanta vbertate affluant: vt non immerito quis Amaltheæ hic cornu copię esse dicat. Denique in medio fere Silesiæ sita est: vt fere pari itineris spacio extimi quique eo conuenire possint.

Ad Fiscum quod attinet, ex auctoritate Cæsarum Vratislauiæ constitutum est Collegium siue Curia Rationalium, quam vulgo *Cameram Silesiacam* vocant, ex viris dignitate & integritate conspicuis, & legum ac morum peritis: qui regalium & fisci atque patrimonii principalis curam & administrationem habent, causasque eo spectantes diiudicant, rem denique nummariam Principis vniuersam tractant & moderantur. Horum caput est vir primariæ plerumque nobilitatis & auctoritatis, quem *Præsidem Cameræ* vocant. Est enim ea dignitas apud Silesios amplissima, qua nunc quoque virum Generosum & Magnificum Dn. Nicolaum à Burghaus in Stoltz, &c. Sacr. Cæs. Maiest. Consiliarium integerrime fungentem vniuersa merito suspicit ac veneratur patria. Adiuncti sunt iisdem Procuratores siue Patroni & Aduocati Fisci: quorum munus est, pro Rege, quotiescunque de Fisci interesse agitur, postulare eiusque iura & commoda, absque calumnia tamen, tueri & curare.

Præ-

Prædiorum Regiorum siue Cameralium atque redituum inde prouenientium curatores, tum vectigalium qua ordinariorum, puta ex rebus inuectis euectisque & similium, qua extraordinariorum (cujusmodi sunt qui cerevisiarias collectas esse arbitrentur, quippe non ex obligatione aliqua descēdentes sed libera statuum voluntate fieri solitas, quanquā nouum non est, vt quæ prius fuere dona, degenerent in debita) & aliarum, quæ Fisco debentur, pensionum exactores varii constituti & per prouincias dispersi: iisque præfectus Quæstor ærarius sine Rent-magister: rationibus reddendis omnes Cameræ obnoxii. Quibus inspiciendis ac dispungendis peculiares discussores siue magistri ratiociniorum constituti: quos *rationum Consiliarios*, Raitráthe vulgo vocant. Cum tributis, quæ respectu ædium, prædiorum aliorumque bonorum immobilium (mobilia enim tributis non onerantur, quæ res quin magnam sæpe inæqualitatem pariat negari nequit) secundum censum siue æstimationem & taxationem illorum publice factam exiguntur atque imperantur, Cameralibus nihil negocii: neque illorum colligendorum & tractandorum potestas penes alios quam qui ad hoc munus à Principibus atque Ordinibus ipsis sunt delegati: qui deinde vel ad Regē ipsum eiusve Cameram destinant vel in Hungariam ad alendos stipendiis cum in expeditione & castris tum in præsidiis milites mittunt. Cuius quidem regni tutelæ quanti à Silesiis vel nupero quindecennali bello sint impensi sumptus si quis vniuersim computare velit, plures auri myriadas reperturus sit, quam multorum opinio assequatur.

Quantum autem ex hac & conjunctis prouinciis ad regem Bohemiæ redeat, vel hoc argumento est, quod sine illarum ope Bohemia regem alere difficulter posse videatur. Sic enim Dubraus lib. 31. hist. Bohem. *Sensit*, inquit, *paulatim Vladislaus magnum incommodum magnamque regnandi pro maiestate regia difficultatem ex Morauia, Silesia, Lusatia, abalienata, quippe tanta per illam alienationem de vectigalibus censibusque & tributis*

deductio facta fuit, vt ne numerum quidem equitatus solutum Rex suo sumptu alere posset. Quanquam non negarim ex illo tempore ob diuendita passim bona Cameralia quamplurimum Fisco decessisse. Et quid vllæ opes ad tot expensas, tot delegationes?

Atq; hæc sunt de multis paucissima, quæ de alma patria Silesiæ strictim & carptim commemorare atq; in medium proferre volui: non tam quod vbiq; plene adquiesceret animus, aut quod hoc subseciua cura properatum & ob id fortassis ἡμιόβριον aut ad oleum piperq; dimittendum opusculum omnibus numeris censerem absolutum (neq; n. ita me ludit amabilis insania, vt tantum mihi arrogem) quam vt cum Poeta

——— functus vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi,

eruditorum politiorem manum ad patriæ decora exsequenda excitarem, felicioremq; acuerem industriam. Quod tantum abest, vt mihi acceptissimum futurum non sit: vt etiam hoc ab illis, qui prestare possunt, vltro exigam: & didactra iis, qui plura & meliora vel ipsi ediderint, vel me candide docuerint, suisq; subsidiis in cōmunem vsum instruxerint, libenter debiturū non dicis caussa & ἀφοσιώσεως χάριν sed ex animi sentētia profitear. Interim boni & cordati lectores instituto meo vt faueant & si quid forte cōmissum à me vel omissum, parūve perite ac prudenter positū (vt fortasse nō pauca erunt, cū humanū nō sit μηδὲν ἁμαρτεῖν ἢ πάντα καλοῖς θεῖν, nihil rerū omnium ignorare, & in nullo penit° errare, labi ac decipi) nō se ideo minus benignos mihi præbeant, sed quod stricto iure posset negare seueritas ac grauitas, id pietati in patriam, cuius honori hoc quidquid est operis & operæ, vt vt ceciderit, impendimus, concedat beniuolentia illorum ac caritas, etiam atq; etiam rogo: operam porro daturus, vt quod minus hæ priores, id CVRÆ SECVNDÆ, quas Euripidis sententia σοφωτέρας esse docet, cum DEO & die aliquanto iustius mereantur.

LAVS TRINO ET VNI DEO.

APPEN-

APPENDIX PRIVILEGIORVM QVORVNDAM ET DIPLOMATVM, QVORVM AVCTORITATE ET TESTIMONIO VSI NUNC INTEGRA DARE VOLUIMUS, VT & LECTORI FIDES EO CONSTARET CERTIOR, & MULTA ALIA SCITU DIGNA, AD SILESIAM PERTINENTIA COGNOSCERENTUR.



M. DC. XIII.

PRIVILEGIVM CAROLI IV. IMP. ET REGIS BOIEMIÆ, SVPER ELECTIONE Regis Boiemiæ.

CAROLVS, Dei gratia, Romanorum Rex ſemper Auguſtus & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam. Innata cordi noſtro benignitas, & ad fideliũ & deuotorũ noſtrorum honores & commoda continuis intenta vigiliis, votis ipſorum annuere iugiter nos inducit, quoties poſcentium vox eſt iuſta. Hinc enim liberalitatis noſtræ non errat intentio, ſed regalis ſceptri faſtigium extollere ſalubriter arbitratur. Sane ad noſtræ Celſitudinis, Venerabiles Archiepiſcopus Pragenſis, Olomacenſis, Lithonislenſis & Vratislauienſis Epiſcopi, nec non illuſtres Iohannes Carinthæ, Comeſq; Tirolis & Goriciæ, germanus noſter chariſſim⁹, ac Nicolaus, Opauiæ & Ratiborię Duces, ceteriq; Prelati, Duces, Principes, Barones, Proceres & Nobiles regni noſtri Bohemiæ, & pertinentiarum eiuſdem, præſentiam accedentes, nobis humiliter ſupplicarunt: vt quaſdam literas Friderici D. Rom. Imp. electi prædeceſſoris noſtri nobis per ipſos exhibitas, quarum tenor & ſeries ſequitur in hæc verba.

FRIDERICVS diuina fauẽte clementia Romanorum Imperator electus & ſemper Auguſtus, Rex Siciliæ, ducatus Apuliæ, & principatus Ca .... &c. Cum decor & poteſtas imperij noſtrum præceſſerit ſtatum, vt nõn ſolum cæterorum Ptincipum dignitates, verum etiam Sceptra regalia à noſtra conferantur maieſtate, glorioſum reputamus & magnificum, quod in tanto noſtræ largitatis beneficio & aliis creſcit Regiæ dignitatis augmentum, nec ob hoc eminentia noſtra

noſtra aliquod patitur detrimentum. Inde eſt, quod nos attendentes præclara deuotionis obſequia, quæ Bohemorum vniuerſa gens ab antiquo tempore Romano exhibuit imperio, tam fideliter quam deuote, & quod Illuſtris Rex eorum Ottocarus à primo inter alios Principes, ſpecialiter præ cæteris in Imperatorem nos elegit, & noſtræ electionis perſeuerantiæ diligenter & vtiliter aſtitit, ſicut dilectus patruus noſter piæ memoriæ, Rex Philippus omnium Principum conſilio habito per ſuum priuilegium inſtituit ipſum Regem, Conſtituimus & confirmamus, & tam ſanctam & dignam conſtitutionem approbamus, regnumque Bohemiæ liberaliter & abſque omni pecuniæ exactione & conſueta Curiæ noſtræ iuſtitia, ſibi ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum concedimus, Volentes vt quicunque ab ipſis in Regem electus fuerit, ad nos vel ſucceſſores noſtros accedat, regalia debito modo accepturus. Omnes etiam terminos, qui prædicto regno attinere videntur, quocunque modo alienati ſint, ei & ſucceſſoribus ſuis poſſidendos indulgemus. Ius quoque & authoritatem inueſtiendi Epiſcopos regni ſui integraliter ſibi & hæredibus ſuis concedimus: ita tamen quod ipſi ea gaudeant libertate & ſecuritate, quam à noſtris prædeceſſoribus habere conſueuerunt.

De noſtra autem imperialis libertatis munificentia ſtatuimus, quod illuſtris Rex prædictus, vel hæredes ſui ad nullam curiam noſtram venire teneantur: niſi quam nos apud Bamberg vel Nurnberg celebrandam indixerimus, vel ſi apud Merſenburg Curiam celebrare decreuerimus.

Quod ſi dux Poloniæ vocatus acceſſerit, ipſi ſibi ducatum præſtare debeant, ſicut anteceſſores ſui quondam Bohemiæ Reges facere conſueuerunt: ſic tamen, vt ſpacium ſex hebdomadarum veniendi ad dictas curias eis ante figatur. Saluo tamen, quod ſi nos vel ſucceſſores noſtros Romæ coronari contigerit, ipſius prædicti Pegis Ottocari vel ſucceſſo-

ceſſorum ſuorum relinquimus arbitrio, vtrum ipſi trecentos armatos tranſmittant, vel trecentas marcas perſoluant. Ad huius autem noſtræ conſtitutionis & confirmationis memoriam & robur perpetuo valiturum præſens priuilegium per manus Henrici de Pariſiis notarij & fidelis noſtri ſcribæ & bulla noſtra aurea iuſſimus communiri, Anno, menſe & indictione ſubſcriptis. Huius rei teſtes ſunt iſti, Archiepiſcopus Baren. Epiſcopus Tridentinus, Epiſcopus Baſilienſis, Epiſcopus Conſtantienſis, Epiſcopus Curienſis, Abbas S. Galli, Abbas de Viceberre, Bertholdus de Nimphen regalis curiæ protonotarius, Comes Vlricus de Chiburg, Comes Rudolphus de Habſburg & Landgrauius de Alſatia, Comites Ludouicus & Hermannus de Friburg, Comes Wernerus de Hohemberg, Arnoldus nobilis de Wart, Rudolphus Aduocatus noſter.... Rudolphus de Rauenſpurg, Albertus de Tanhauſen Camerarius, & alij quamplures magnates & nobiles & liberi, quorum teſtimonio hoc priuilegium conſtat eſſe confirmatum. Acta ſunt hæc anno Dominicæ incarnationis milleſimo, ducenteſimo, dudecima menſis Aprilis, XV. indictione, Regni vero Domini noſtri FRIDERICI illuſtriſſimi Romanorum Imperatoris electi & ſemper Auguſti Regis Siciliæ quinto decimo, datumq; in nobili ciuitate Baſilienſi per manus Vlrici protonotarij, &c. feliciter annuentes noſtra confirmare authoritate regia dignaremur.

Nos itaque Præfatorum Prælatorum, Ducum, Principum, Baronum, Procerum & nobilium, quos honoris & felicis ſtatus Romani regni & ſacri imperij fideles & ſolertes præ cæteris nouimus Zelatores, ipſumque regnum BOHEMIÆ ROMANI REGNI membrum fore nobilius, ſupplicationibus benignius inclinati, præfatas literas ac omnia & ſingula contenta in iiſdem laudamus, ratificamus, approbamus, confirmamus, & de nouo

uo ex certa ſcientia de noſtræ Romanæ Regiæ plenitudine poteſtatis præfatis Regni Bohemiæ prælatis, Ducibus, Principibus, Baronibus, Proceribus ac Nobilibus & vniuerſitatati regni ipſius & pertinentiarum eiuſdem ad vſum & opus regni Bohemiæ in perpetuum damus tenore præſentium, conferimus & donamus: omnem diminutionem & defectum, ſi quis in præmiſſis fuerit de vberiori dono Maieſtatis Romanæ Regiæ & plenitudine poteſtatis reparantes omnimodo & ſupplentes.

Verum cum contra ea in præfatis contenta literis nonnulli calumniari aut ea interpretari ſiniſtre ſeu in ſenſum reprobum declarare, imo verius obſcurare niterentur, ad tollendum de medio omne dubium vel obſcurum, quibus dictarum ſeries aſpergitur literarum, vt regni Bohemiæ præfati ipſiuſque incolarum ſtatus in ſincera imperij dilectione perſeueret, concordiam & vnitatem in vinculo pacis conſeruet, & incolæ dicti regni, iis quæ diſſidentiæ materia poſſent eſſe temporibus futuris, & animarum ac corporum inde naſcituris periculis, rerumque diſpendiis profecturis ſolerti præuentione, antequam ordiantur, tum prudenter quam ſalubriter præciſis, tanquam manſueti terram hæreditent, & in pacis multitudine delectentur: Electionem Regis Bohemiæ in caſu duntaxat & euentu, quibus de genealogia, progeniæ vel ſemine aut proſapia regali Bohemorum maſculus vel fœmella ſuperſtes legitimus (quod DEVS auertat) nullus fuerit oriundus, vel per quemcunque alium modum vacare contigerit dictum regnum ad Prælatos, Duces, Principes, Barones & Nobiles & Communitatem regni præfati & pertinentiarum eiuſdem ſpectare: Habitaque cum nonnullis Romanorum futuri Imperatoris Electoribus, ac aliis Principibus, qui tum temporis noſtræ Celſitudinis præſentiæ aſſiſtebant, deliberatione matura ipſorumque ſano digeſto conſilio volumus, decreuimus,

AB.

pronunciauimus,interpretamur & præsentis scripti patrocinio declaramus, rite iuste in perpetuum possidere, ipsiusque Regis Bohemiæ electionem in casu & euentu prædictis, & nō alias,præfatis Prælatis,Ducibus,Principibus,Baronibüs,Nobilibus, & communitati dicti regni & pertinentiarum eiusdem de nostræ Romanæ plenitudine potestatis ac ex certa scientia damus, concedimus, conferimus, & donamus, dictamque electionem meliori, salubriori & firmiori, quo potest modo fieri confirmamus & transferimus in eosdem. Volentes etiam, vt quicumque in Regem Bohemiæ electus fuerit,ad nos & successores nostros Romanos Reges & Imperatores accedat, sua à nobis modo debito & solito regalia recepturus, non obstantibus legibus, consuetudinibus, vsibus, obseruantiis, iuribus municipalibus, vel statutis seu edictis factis & editis in contrarium quibuscumque. Quas & quæ, quantum ad hoc, ac si forent nominatim & de verbo ad verbum scripta & præsentibus inserta reuocamus, cassamus, irritamus, annihilamus, & de dicta Regia Romanorum plenitudine potestatis decernimus firmitatis fore nullius penitus vel momenti.

Insuper ad vniuersorum & singulorum notitiam cupimus peruenire, quod prædictæ literæ bulla aurea typarii maiestatis præfati FRIDERICI Romanorum Imperatoris electi, qua ipse Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ & Principatus Capuæ ante coronationis regni Romani solennia vtebatur, prout nobis constat, & sumus plenariè informati, & sicut glorioſæ memoriæ Henricus auus noster quondam Romanorum Imperator sigillo comitatus Lucemburgensis, & cæteri Diui Romanorum electi prædecessores nostri suorum titulorum, Nosque etiam Marchionatus Morauiæ sigillo ante ipsorum & nostræ coronationis solennitatem vsi fuimus, in cuius bullæ aureæ circumferentia apertè Maiestatis Scripta sunt

sunt Verba ista: FRIDERICVS Dei gratia Siciliæ Rex, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, & ab illa parte, vbi est impressio cuiusdam castri, CHRISTVS vincit, CHRISTVS regnat, CHRISTVS imperat, extant sanæ & integræ,omni carentes vitio.

Nulli ergo omnino liceat hanc nostræ laudationis, ratificationis, approbationis, confirmationis, donationis, reparationis, supplementi, interpretationis, declarationis, reuocationis, cassationis, irritationis, & annullationis paginam infringere, vel ei ausu temerario in aliquo contra ire. Contrarium vero facientes si qui fuerint, quod absit, vltra indignationem nostræ Celsitudinis Romanæ, quam se nouerint grauiter incursuros, mille marcas auri puri nostro & Romani Regni fisco componat, ipsarum videlicet medietatem nostræ & successorum nostrorum Romanorum Regum & Imperatorum Curiæ siue Cameræ, & reliquam passis iniuriam irremissibiliter applicandam. In quorum omnium testimonium, & ad certitudinem pleniorem præsentes fieri iussimus, & nostræ Maiestatis sigilli appensione muniri.

Huius rei testes sunt Gerlacus Archiepiscopus Maguntinensis, sacri Imperij per Germaniam Archicancellarius, Rudolphus Senior Dux Saxoniæ, Sacri Imperij Archi-Marschalcus, Rudolphus Iunior Saxoniæ & Fridericus de Teck Duces, Iohannes Burggrauius Nurembergensis, Vlricus de Helfenstein, & Rudolphus de Wertheim Comites, Petrus de Habach, Crafto de Hohenloch, Gotfridus de Brunecke, Gerhardus de Waltsee, Fridericus de VValtsee, Egloff de Friburg, & Burchardus de Erbach, Regni Romani præfati Principes & Barones. Datum Pragę, Anno Domini milleſimo tricenteſimo quadrageſimo octauo, die VII. Aprilis, regnorum nostrorum anno secundo.

PRIVILEGIVM, quod commune appellant, das gemeine Lands priuilegium, principibus atq; ordinibus Sileſiæ à Vladislao Rege A.C. M.CCCC. XCIIX. conceſſum: quo non modo de Sileſiæ ſuprema præfectura nemini externo, nec niſi Príncipi indigenæ concedenda cauetur: verum etiam de ſupremo huius prouinciæ tribunali pluſcula ſanciuntur: hoc præterea addito: vt Principes atque ordines Sileſiæ intra prouinciam quidem ſuis ſumptibus Boiemiæ Regi ſeruire teneantur, ſed ſi vltra fines terminoſque Sileſiæ iis ſeruiendum, tunc vero ſtipendia illis à Rege numerentur. Statuitur denique ne Regi Boiemiæ noua imponere tributa aut vectigalia inſtituere noua, ſine Principum atque ordinum conſenſu liceat.

Vladißlaus von Gottes Gnaden zu Hungern/Böhaim/Dalmatien/Croatien/ꝛc. König/Marggraff zu Mehren/Hertzog zu Lützenburg vnd in Schleſien/Marggraff zu Laußnitz/ꝛc. Bekennen offentlich vor jedermänniglich/daß vns die Ehrwürdigen/Hochgebornen/Würdigen/Edlen/Geſtrengen/Namhafften/Erbarn/Erſamen vnd Vorſichtigen/geiſtliche vnnd weltliche Fürſten/Prælaten/Herrn/Ritterſchafft/Mannſchafft/die von Stätten vnnd Gemeine/die Innwohner vnſer Ober vnnd Nider Schleſiſchen Lande/vnſere lieben Getreuwen/durch den Hochgebornen Kazimiren/Hertzogen zu Teſchen/Hauptmann in Ober vnd Nider Schleſien/vnd den Edlen Sigmunden Kurtzbach/Freyherrn zu Trachenberg/haben erſuchen vnd bitten laſſen/jhnen alle vnnd jegliche jhre Freyheit/Brieff/Priuilegia, Begnadungē/Gerechtigkeit/Gaben/Gewonheit/vnd alt Herkommen/die ſie vnd jre Vorfahren/von vns vnd vnſern Vorfahren/Keyſern vnd Königen zu Böhaim/auch Hertzogen in Schleſien/vnd ſonderlich vom Könige Matthia/vnſerm nechſten Vorfahren/biß auff vns erworben vnd herbracht/zu verneuwern zu laſſen vnnd beſtättigen/darzu auch etliche Freyheit vnd Gnade auß königlicher Milde zu geben vnd zu verleihen geruhen/deß haben wir derſelben obgenannten Schleſiſchen Landfürſten/Prælaten/Ritterſchafften/

ſchafften/Mannſchafften/der von Stätten vnd Gemeinen fleiſſige Bitt angeſehen/darbey betracht die willigen vnverdroſſenen Dienſte/die ſie vnd jre Vorfahren/Leibes vnnd Gutes vngeſparet/offentlich vnnd gerne erzeiget vnnd gethan haben/die jetzt täglich thun/vnnd hinfür zu thun erbieten. Darauff mit wolbedachtem Muthe/rechtem Wiſſen vnd Rath vnſerer lieben Getreuwen/haben wir den vorgedachten vnſern lieben Getreuwen oben gemeldete alle vnd jegliche Freyheit/Brieffe/Priuilegia, Begnadung/Gerechtigkeit/Gaben/vnd alt herkommende Gewonheiten/vnd ſonderlich vom König Matthia/vnſerm nechſten Vorfahren/verneuwert/zulaſſen/geben/beſtättigen vnd confirmiren jhnen die alle vnd jede hiermit in Krafft vnſers Brieffs/als weren ſie alle von wort zu wort hierinnē geſchrieben vnd außgedruckt/auß Böhmiſcher königlicher Macht wiſſentlich/Setzen vnd wöllen auch/daß ſie vnd jhre Nachkommen ſich der allen vnd jedes beſondern/alles Inhalts/Puncten/Clauſeln vnd Artickeln halten/die genieſſen vnd gebrauchen ſollen vnnd mögen/von vns vnd vnſern rechten nachkommenden Königen zu Böhmen vnd Amptleuten daran gantz vngehindert vnnd vnbekümmert. Damit aber die gemeldten vnſere Vnterthanen vnd liebe Getreuwen befinden vnd erkennen/daß wir jnen für andern vnſern Vnterthanen mit groſſen Gnaden geneigt ſeyn/vnd ſie lieben/haben wir jhnen auß königlicher Mildigkeit vnd ſonderlicher Gnade/vber jhre Freyheit/ſo ſie vorhin redlich erworben/vñ wir inſonderheit einem jederman hievorn vnd jetzunder in gemein beſtättiget haben/die hernach folgende Gnad vnd Freyheiten auffs new gegeben/verliehen vnd beſtättiget/Geben/beſtättigen vnnd verleihen auß obberührter Böhmiſcher königlicher Macht. Erſtlichen/daß wir noch vnſere rechte nachkommende Könige zu Böhmen/den jetztgemelten Landen keinen andern oberſten Hauptmann nicht ſetzen noch geben wollen/dann alleine einen auß vnſern Schleſiſchen Fürſten. Vnnd wo wir/als ein rechter König zu Böhmen/oder vnſere nachkommende Könige/auff jr keinen Schleſiſchen Fürſten vnnd Erbſaſſen/geiſtlich oder weltlichen Perſonen/in welcherley Sache das were/auch Grundt oder Bodem

betreffende / Auch widerumb die Fürsten oder Erbsessen deß Lands auff vns oder vnsere Nachkommende vmb Grundt / Bodem / oder sonst jhre Freyheit oder Priuilegia angehen möchte / der Schlesien betreffende / oder insonderheit ein Fürst auff den andern zu sprechen hette / das alles soll geschehen für den Fürsten vnd Ständen deß Landes vnd jren Räthen / die sie neben sich ziehen würden / zu Breßlaw in der Hauptstatt / auff vnserm königlichen Hofe / im Jahr auff zween tag solch Recht zu halten / fürnemlich auff Montag nach dem Sontag Iubilate, vnd den nechsten Montag nach Michaelis daselbst / zu gestehen durch sich selbst / oder seinen Vollmächtigen / also bescheidentlich / was Sachen sich erpörten zwischen vns vnnd den Fürsten / vnd widerumb von den Fürsten gegen vns vnd vnsern rechten nachkommenden Königen / Daran sol die Ladung vom Landshauptmañ Briefflich beschehen / an die ende derselben Güter / die angesprochen werden / ein viertheil Jahrs vor der jetztbemelder Rechtstage einem. Dergleichē zwischē den Fürstē / vnd andern Erbsassen deß Landes gegen einander / Solches sol gehalten werden / vnnd wo solche Auffertigung den Landeshauptmann angienge / so soll er durch den ältern Fürsten der Landt geladen werden / vnnd darbey / was versprochen wirdt / endlich zu bleiben / ohn alle vnnd einigerley Auffzug / bey verlust der Sachen. Wo aber jemands ohne recht redlichen Vrsachen zu seinem vorbotten Rechtstage nicht gestünde / nichts weniger soll dem Recht nachgegangen werden / nach Ordnung der Rechten / vnd Gewonheit der Lande / vnd was dann daran erkannt vnd gesprochen wirdt / ob sich jemands darwider setzen wolt / soll also viel beschehen / als sich zu Recht erfordert. Sondern wo auch die von der gemeinen Ritterschafft vnnd Mannschafft / darzu die von Stätten / oder jhre Eynwohner / auff jhre Herrschafft / oder einer auff den andern / oder eine Statt auff die ander / oder jemandts frembds / Ansprüche thun wolten / das sol ein jeder suchen mit seiner Klag an den andern / da der Antworter zu Recht hin verordnet ist. Wo aber dem Kläger an jr keinem end die Billigkeit deß Rechtens nicht verholffen würde / als dann mag der Kläger Zuflucht haben an die Oberhauptmann

der

der Lande / vnnd bitten / vor jhn in seiner Beschwerung zu schreiben. Würde er dann hierüber ein halb Jahr oder dergleich verzogen / damit er seiner Gerechtigkeit End nicht erlangen möcht / so soll vnser Hauptmann beyder Part macht haben / auff die vorgemeldte Tage Rechtlich zu fordern / vnnd was daselbs erkannt wirdt / darbey soll es endlich bleiben. Würde auch jemands auff die Eynwohner der Ober Schlesien zu sprechen haben auff Mannschafft oder Stätt / die sollen sich aller Weise vnd Form halten / wie hievor in dem nechsten Artickel außgedruckt / Allein wo sie der Oberhauptmann würde zu fordern haben / daß auch jhn in der Statt der Ober Schlesien / die von dem Hauptmann ernennt würde / deß Jahrs ein mal / als auff nechsten Montag nach der heiligen drey König tage / soll zu Rechte fürbescheiden werden. Auch versprechen wir darauff niemands seines Rechtens durch einigerley Weise oder Vornemmen zu verziehen oder zu verhindern. Auch sollen wir vnnd vnsere nachkommende Könige zu Böhmen dieselben vnsere Vnterthanen durch die gantze Schlesien nicht zu fordern haben jhres Dienstes / vber der Gräntzen der Schlesien zu ziehen / Es sey dann / daß sie von vns vnd vnsern Nachkommenden / wie vor Alters gewest / mit Gelt solt jhres Dienstes vnd der Schäde bezahlt vnd außgerichtet werden. Auch sollen die Schlesischen Fürsten / Herren vnnd Stätte vns vnnd vnsern nachkommenden Königen zu Böhmen / zu hulden verpflicht seyn / nindert dann zu Breßlaw / außgenommen die Fürstenthummer Schweidnitz vnd Jawer / dieselben sollen in deme bleiben bey jhren eigenen Priuilegien. Auch sagen wir zu Fürsten / Herren / Land vnd Stätten / vnd allen Eynwohnern der Schlesien / daß wir keinerley Beistewer nicht begeren / noch durch einigerley Weise nicht suchen wöllen / außgezogen von denen / darwider sie sich Rechts halben nicht zu setzen hetten. Auch welcher hier in Schlesien Schlösser / oder andere Güter hat / doch darinnen nicht wohnhafftig / daß er seinen Amptmann / oder sonst ein Vollmacht an seine statt schicke vnd verordene / neben andern alles zu thun vnnd zu leiden / besondern sich in keiner Sachen außziehen soll. Wo sich deß jemands vngehor-

sam

sam verhielte/den soll vnser Hauptmann mit vnser Hülffe/vnnd der andern Einwohner der Schlesien / darzu bringen. Auch alte Zöll sollen bey jren Würden bleiben/doch weiter niemands/ dann wie vor Alters vnd Außsatzung mit bringet/damit beschweret werden. Sondern keinen neuwen Zoll wöllen wir / auch vnsere nachkommende Könige zu Böhmen / in keinen Stellen in der Schlesien / niemanden / weß Standes oder Würdens die seyn / auffzurichten / zu nemmen oder zu gebrauchen/vergönnen/zulassen/geben/ vnnd damit begnaden / Es erkännten dann Fürsten / Prælaten / Herren / Ritterschafft vnnd Stätte der Schlesien einträchtiglich/daß es auß redlichen gegründten Vrsachen/billich /vnnd zu der Land Bestem vnnd Nutzen geschehen solte. Damit wöllen wir vor vns/ vnd aller vnsern rechten nachkommenden Königen wegen zu Böhmen diese gemeine Confirmation/ mit allen andern anhangenden Artickeln der sonderlichen Begnadung von dem ersten biß zu dem letzten hievor geschrieben/vnd klärlich außgedruckt angenommen / gewilliget vnd geliebet haben/ Nun vnd hernachmals vnwidersprechlich vnnd vnverbrüchlich zu halten/in gantzer Krafft vnd Macht dieses Brieffes. Deß zu Vrkundt haben wir vnser Königl. Maiest. Jnsigel hieran hängen lassen. Geben zu Ofen / am Mitwoch vor S. Andreas tage deß heiligen Zwölffbotten/Nach Christi Geburt 1498. Jahre. Vnserer Reiche deß Hungerischen im Neundten / vnd deß Böhmischen im acht vnd zwantzigsten Jahre.

Vladislaus Rex manu propria.

TRANS-

TRANSACTIO COLOWRATENSIS, AB ALBERTO DE COLOWRAT

supremo Regni Boiemiæ Cancellario, & Regio ad eam rem legato, sic dicta, Vratislauiæ inter Ecclesiastici ordinis homines & Principes atque ordines Silesiæ facta, & à Vladislao Rege confirmata A. C. M. D. IV.

Colobratischer Vertrag zwischen den Herren Fürsten vnnd Ständen in Schlesien mit der Geistligkeit deß hohen Stiffts zu Breßlaw.

AVff heute dato, haben auß Befehl deß Durchleuchtigsten/ Großmächtigsten Fürsten vnd Herrn/ Herrn Vladißlawen/ zu Hungern vnd Behaimen König / ꝛc. Hertzogen in Schlesien/ꝛc. vnsers allerliebsten Bruders vnd gnädigsten Herrens / Wir Sigmund von Gottes Gnaden/ König Casimirs zu Polen Son/ vnd Casimir von denselben Gottes Gnaden/ Hertzog in Schlesien/ zu Troppaw / Glogaw / Teschen / ꝛc. Hauptmann in Ober vnnd Nider-Schlesien/ vnnd Albrecht von Kolowrat/ Herr zum Liebenstein / deß Königreichs Böhaim oberster Cantzler/ als vollmächtige Königl. Maiest. Commissarien / ein endlichen vnnd gründtlichen Entscheidt / zwischen denen Erleuchten Hochgebornen Fürsten/ dem Wü. digen Hochgeachten Capitel deß gantzen hohen Stiffts S. Jahannis zu Breßlaw/den Wolgebornen Herren/Edlen/Gestrengen/ Ritterschafften/ Landen/Stätten/vnd allen Jnnwohnern der gemeinen Schlesien/geistlichen vnd weltlichen Standes/ mit jrer Bewilligung gemacht/ gäntzlich begriffen vnd vnwiderruff ich/wie folget/endlich entsetzt.

Zum ersten/was antrifft die Wehlung eines Bischoffs/daß nun noch hinfurt zu keinen gezeiten nimmermehr ein Bischoff vom Capitel soll erwehlet werden / er sey dann nemlichen auß Böh-

1. *Ne quis in posterum Episcopus creetur, nisi vel Boiemus*

gente, vel Moranus, vel Silesius, vel Lusatius vel ex cõiunctis atque, vt vulgo loquuntur, incorporatis Boiemiæ prouincijs.

men/Mehren/Schlesien/Ober vnd Nider Laußnitz/oder andern zugehörigen vnd anhangenden Landen der Kron zu Böhaim/ auß den Ständen förderlich der Fürsten/ Herren/ Ritterschafft vnnd Stätte/die darzu genüglich erkannt würden/ vnnd tüglich weren / als vnd die Wehle eines Bischoffs von alters hero nach außsatzunge dem Capitel verliehen vnd zugegeben / vnnd kein ander von den Außländischen zum Bischoffe nicht gewehlet noch auffgenommen werden in zukünfftigen Zeiten vngehindert / als so der königlichen Maiest. in solcher Election vnd Wehlunge/ als dem Oberherrn zugebühret.

Ioanni Tursoni, qui episcopo iam tum Coadiutor datus, quamuis extero tus suum salvum atque integrum sit, & Episcopo, siquidem ipsi superuixerit, succedat.

Darbey so soll jetzt Herr Joannes Türß/ Coadiutor, auff Bäpstliche Bestättigung / vnnd Königl. Maiest. Bewilligung / ob vnnd sein Würde deß jetzigen Bischoffs Todt erlebet/Bischoff seyn/ vnd daran vngeirret allenthalben bleiben.

2 Ne beneficia Ecclesiastica, quorum collatio ad Episcopum, Principes, collegium, vel alios quosscũq; pertineat, alius quam indigenis conferantur.

Zum andern / was betrifft die Lehen vnnd Beneficia, so ein Bischoff oder Capitel zu conferiren haben/ sollen vnnd wöllen der Herr Bischoff nicht andern / dann bemeldten Innwohnern der Kron vnnd Schlesien Leuten / so darzu geschickt vnnd würdig / verleihen/ Das wil vnnd soll sich der Herr Bischoff vor sich vnnd seine Nachkommenden zu halten / mit sampt dem Capitel vnter jhrem Brieff vnnd Siegeln verschreiben / vnnd die nachkommende Bischoffe sollen sich allwege darzu brieflich bekennen / daß solche Lehen niemandes/ dañ Einwohnern der Kron vnd Schlesien/ ꝛc. verliehen/ mit vnterscheid/ wie vermeldet/ denen die dazu tüglich seyn. Item / die Fürsten / oder welche Beneficia zu verleihen vnter dem Bisthumb zu Breßlaw / sollen vnnd wollen auch nicht andern / dann Einwohnern der Kron vnd Schlesien/ ꝛc. solche jre Lehen verleihen / auff alle die meynung / wie sich der Herr Bischoff vnd Capitel dareyn bewiliget haben. Item/die Kön. Mai. soll von wegen der Wehlunge deß Bischoffs/vnd Verleihung der Beneficien ersucht werden / daß seine Kön. Mai. Verwilligung gnädiglich darzu gebe vnd bestättige/ vnd daß seine Kön. Mai. die Lehen/so seine Kön. Mai. in Schlesien zu verleihen/ auß Gnaden vnd lieber der Kron vnd Schlesien Einwohnern/denn andern/verleihen.

Consensus Boiemiæ Regis super Electione Episcopi, & beneficiorum collatione requiratur.

Zum

Zum dritten/ was belangende ist die Geistligkeit vnnd Ordnunge der heiligen Christlichen Kirchen / darinne weder Fürst noch Einwohner kein weltlicher sich setzen soll in keine wege/ sondern den Herren Bischoff vnnd Geistligkeit/ so einiger Vbertretter deß Christen Glaubens befunden/ darinnen nach außsatz vnd gewonheit deß Bisthumbs damit vngeirret/thun vnd schaffen lassen.

3 Ecclesiastica administratio Episcopis permittatur.

Zum vierdten/ was antrifft das Stück deß Zehenden / so von den Einwohnern der Fürstenthummer vnnd Landen / den Geistlichen zu geben gebühret / soll ohn alle Widerrede vnnd Fürhaltunge nach Fruchtbarkeit / als der Zehende außweiset / den Geistlichen gereicht werden / vnnd die Geistlichen sollen vnnd wöllen solchen Getreide-Zehenden / so jhn drey Tage wissentlich füran verkündiget / auff dem Felde nemmen. Wo aber die Geistlichen in denselben Tagen die Zehende nicht annemmen / auff daß armen Leute nicht zu Schaden kämen / als dann sollen die Einwohner deß Dorffs etliche Geschwornen / die da im Dorffe gesessen / nemmen / jhr Getreide beführen / besichtigen vnnd außstecken. Was sich dann nach Mandelzahl / vnnd wie man den Zehenden zu nemmen pfleget / findet / stehen lassen / vnnd das jhre wegführen / darinne sich die Priesterschafft selbst versorgen sollen. Wo aber dann die Leute vnd Bauwerschafft den Zehenden nicht geben / vnnd sich widersetzig machten / sollen die Geistlichen darumb die Herrschafft deß Grundes ersuchen vnnd anlangen / der jhn darzu ohn alles verziehen helffen soll. Ob aber derselbe Herr das nicht thete / dann sollen vnnd mögen sich die Geistlichen gegen denselbigen nach alter Gewonheit halten. Auch vmb den Zehenden von den wüsten Gütern sollen die Geistlichen an den Enden / wo jhn der Zehende von den wüsten Gütern in den vergangenen Jahren gegeben / noch also nemmen/ so lange biß die Güter besetzt / vnnd jhre Freyheit außgehen. Alsdann nach außgang der Freyheit/sollen sie die Geistlichen/was jnen rechtlichen gebühret vnd zustehet/ nemmen.

4 De decimis censibusq; clero debitis, de quibus variè sanciuntur.

Vt decimæ persoluantur clericis sine immutatione aut defalcatione prætextu sterilitatis.

Vt intra triduum Ecclesiastici decimas ex agru auferant.

Ni fecerint, eligantur iurati quidam, qui decimas Ecclesiasticis debitas à reliquis frugibus separent & designent, rusticis suum auferre permittant.

De modo coercendi rusticos, qui moram faciunt in soluendis decimis.

imposiți complures: ijque partim lapidei, partim sublicij siue lignei: cuiusmodi amnes, quibus Odera extra vrbem coniungitur, ijsque maximis & longissimis.

Locis, quæ diuino cultui sacra, nitet quamplurimis, ijsque magnificis & aliter atque aliter structis atque instructis: in quibus dignitate atque opere primum templum cathedrale D. IOHANNIS in insula, inter primas Germaniæ basilicas citra iniuriam censendum, insignique Canonicorum collegio ornatum. Exordia huius templi, traducta Vratislauiam sede Episcopali, quæ Smogrouiæ prius, deinde Bicinæ fuerat, posuit *Casimirus* Poloniæ Rex circa annum salutis CIↃ LII. sed quod cum initio ligneum tantum esset, sub Walthero Episcopo de latere & secto per artem lapide exstructum subindeque instauratum, in maximum & magnificentissimum excreuit. Odeum siue chorus, qui ab alterno diuinarum laudum concentu sic vulgo dicitur, perquam elegans: quem præter aram argenteam, quam suis sumptibus fieri curauit *Andreas* Episcopus, insigni & visendo

opere non ita pridem egregie exornauit *Bernhardus Ederus* eius basilicæ Canonicus. Sacella vndique & altaria tam proprio, quam ascititio ornatu splendida, præsertim si tutelaris festiuitas, anniuersaria loci dedicati memoria, aut aliud quiddam occurrat: tum Epitaphia & monumenta omnibus templi angulis lucentia. Tectum templi cupreum: cui & turres duæ illustribus & luculentis fastigijs cõiunctæ. Illud planè silentio neutiquam tegendum, famâ & multorum sermonibus celebrari, ita vsu venire in hac basilica Vratislauiensi, vt Episcopi & Canonicorum propinquæ mortes certis signis prænuncientur. Plerunq; enim subsellium, in quo Canonicus morti vicinus sedere solebat, à seipso claudi, aut rosam in subsellio illo reperiri: aliquando etiam campanas sonare, nullo impellente. Cui simile aliquid Cromerus de basilica Cracouiensi refert. Neque omittendum porrò, quod de hoc Episcopatu *Aeneas Syluius* de mor. Germ. scribit: *Vratislauiensem*, inquit, *Episcopatum aureum quondam appellauêre, sed hunc quoque Hussitarum vesania extenuauit. Hic Canonici, dum Canonicas horas canunt, rubeis cappis ornati, Cardinalium Rom. Ecclesiæ morem tenent.*

Neque vero minus splendidum S. CRVCIS templum in eadem insula: quod *Henricus Probus Dux Vratislauiensis* Anno C. CIↃ CC LXXXIIX. condidit, & collegium sacerdotum datis de suo luculentis reditibus instituit. Inferior crypta honori D. *Bartholomæi* Apostoli sacra.

Nobilia item & magnifica sunt templa vrbis parochialia.

I. Templum D. ELISABETHÆ anno Christi CIↃ CC LIII. extructum: quod auorum memoriâ, cum iam humanarum traditionum assiduâ alluuione Apostolica illa & primitiuæ Ecclesiæ veritas ita adulterata deprehenderetur, vt saporem pristinæ ingenuitatis vix retineret, inclytus vrbis Senatus à Papanis superstitionibus repurgari, puramque in eo Euangelij doctrinam doceri curauit, accito ad id muneris *Ambrosio Moibano* insigni Theologo. Iuxta stat turris cõspicua, & caput inter nubila condens,

dens, A. C. CIↃ CCCC LVI. vt habent annales, educta ad fastigium vsque siue culmen, quod affabrè elaboratum & CCCCII. centenarijs plumbi, LXXIX autem centenarijs cupri coopertum, vt ex ruderibus ad publicam libram examinatis patuit, cubitosque altum, si insertam culmini quindecim cubitorum crucem adnumeres, CXIX. A. C. CIↃ CCCC LXXXII. turri impositum, in vigilia D. Matthiæ Apostoli secunda noctis hora A. C. CIↃIↃ XXIX. vi tempestatis superæ corruit, eique substitutum postea anno CIↃIↃ XXXII. quod nunc conspicitur. Historia illius ruinæ, qua præter felem nemo læsus fuit, in templo depicta est, cum eleganti subscriptione: quam, vt hic etiam legatur subijcio.

MIRABILIS IN ALTIS
DOMINVS.

Collapsa est turris Syloe madefacta cruore,
Pyramide hac nostra nemo cadente perit.
Nam iussu Domini exceptam, cui gratia Soli,
Angelicæ molem deposuêre manus.

Insignem eadem turris habet campanam anno CIↃIↃIIX fusam: cuius ambitus est XIV. vlnarum Vratislauiensium, & inferior grossitudo vlnæ fere dimidiæ.

Est & auditorium in hac æde Theologicum: in quo deposita viri Nobilissimi *Thomæ Rhedigeri* bibliotheca magnâ & exquisita bonorum librorum tam cusorũ quam manuscriptorum copia refertissima: quos cum incredibili cura ac diligentia, magnaque vi auri impensâ, doctissimorum ea in re hominum consilio atque operâ adiutus (semper enim siue peregrinaretur, siue illustri aliquo loco moraretur, apud se literatum habebat vnum atque alterum, sæpe etiam complures, vatum ob id hospes non minus vere quam festiue à *Iano Douza* Nordouice viro nobilissimo adpellatus, cum ad *Ger. Falkoburgium* ita scribit,

Merogq; curas dissipare Rhenensi
Tecum, aut apud vatum hospitem Rhedigerum,

Doctum atque vere nobilem Rhedigerum)
per Italiam, Galliam, & Germaniam conquisiuisset, sic de ijs testamento cauit: vt libri omnes vna cum numismatibus aureis argenteis, æneis, statuis, picturis, & reliquis bibliothecæ ornamentis minimè vulgaribus, quam diligentissimè Vratislauiæ in vno conclaui ad id ab heredibus instructo adseruarētur, omniaque in eo suis locis distinctè & ordinatè disponerentur: ita quidem, vt bibliotheca illa cum suis ornamentis non tantum Rhedigerianæ familiæ, penes quam esse perpetuò debeat, honori verum etiam alijs vsui & voluptati esse posset. Nulli vero libri vel legendi vel cum impressis conferendi inde darentur, nisi de ijs sartis tectis certo tempore restituendis idoneè caueret. Quo quidem facto, vt propensæ voluntatis rem literariam omnimodis iuuandi illustre specimen dedit, magnamque ab eruditis omnibus gratiam iniuit: ita fieri non potest, quin subeat quamplurimos indignatio cum miseratione, post XXXVII. mortis annos haud dum eam fuisse voluntatis Rhedigerianæ executionem esse quæ fortassis debebat.

Sunt denique in hac æde circumque eam tot vtriusq; sexus præclari homines ciuesque, quà Ecclesiastici, quà politici, quot alibi vspiam, cum elegantissimis & spectandis monumētis conditi: quarum eruditas quasdam epigraphas in delicijs itinerum à *Nath. Chytræo* editis, & monumentorū Silesiæ periculis expositis à *Sim. Grunæo* (quem vt promissas omnium patriæ nostræ epigraphas in publicum cōferre maturet publico nomine hoc loco obtestor) delicijs item orbis Christiani à *Fran. Swertio* recenter vulgatis, qui volet requirat.

II. Ædes D. MARIÆ MAGDALENÆ: in qua ministerium purioris doctrinæ p. imus inchoauit *D. Iohannes Hessius* ex collegio in vrbem à Vratislauiensibus vocatus Anno CHRISTI CIↃIↃXXV. Templum augusti cultus structuræque & varijs variorum cenotaphijs ac monumentis conspicuum, baptisterion insuper habet eximij operis, vt & suggestum à *Friderico Grosio* in signi

signi statuario ex alabastrite & marmore viridi tralucentique, ad Zabothum montem eodem auctore primū fosso sculptum, & varijs hinc indeq; imaginibus exornatum. Neque vero paruum eidem templo decus adiuncta conciliat Bibliotheca: quæ amplissimi senatus & priuatorum munificentiâ adornata, publicisque vsibus consecrata librorum omne genus præstantissimorum censu indies augetur atque excolitur. Inscriptio huiusmodi.

Bibliotheca
sub
Præsidibus ac patrocinio virorum Nobilium, Amplissimorum & Integerr.
Dn. DAVIDIS KOSLERI Ordinis Senatorij
&
Dn. MICHAELIS FVRST in Kupfferberg
templi huius Ædilium
Anno
M D C I
in ordinem redacta.

Salue, quisquis ades. Pratum tibi nobile monstro.
Quot flores, totidem cernis in orbe libros.
Hic animum pasce, atque hic mella liquentia fuge:
At nocitura tibi quæso venena fuge.
Nosce Deum, mentis fontem, tuq; excole mentem.
Me, si vis, auge. Sed spoliare caue.

Adnexæ templo turres duæ eximiæ & præcelsæ, quæ anno CIↃIↃLXVIII. reparatæ, cupreisque laminis tectæ.

III. Ædes D. BERNHARDINI, in noua, quam vocant, ciuitate, æui propinquioris: monachis Franciscanis, qui velut regulæ Franciſci obseruantiores, *de Obseruantia* vulgò & *Bernhardiniani* à D. *Bernhardino* Senensi Minorum instituti Reformatore adpellantur, A. C. CIↃCCCCLIII. instinctu *Iohannis Capistrani* Itali (qui doctrinâ & sanctimoniâ vitæ æuo suo clarus

susceptа

ſuſceptâ in Boiemiam, Poloniam, & Sileſiam peregrinatione cum in hanc vrbem triginta ordinis ſui monachis comitatus veniſſet, poſitâ in foro cathedrâ quotidie per interpretem ad populum concionem habuit, & in vitia acriter inuectus, luxum præcipuè in veſtitu, cibo, potuque taxauit, & alueolos, teſſeras, chartasque luſorias magno numero congeſtas publicè cremauit) à Vratislauienſibus exſtructa. Sed poſtea eiectis anno CIↃ IↃ XXII. palliatis illis & pallidis mendicabulis in alios potioresque vſus verſa: templo in parochiam, monaſterio in hoſpitale tranſmutato.

Illud minimè prætermittendum hic cenſeo, monachum induiſſe in iſto conuentu *Iohannem Epiſcopum Varadienſem:* qui ex obſcuro alioqui Morauiæ oppido Proſtānæ oriundus, ſed ingenio & induſtriâ ſuâ ad id culminis euectus, vt principem gratiæ locum apud Matthiam Regem teneret, neque quemquam per ea tempora inter ſui ordinis homines parem haberet, cum Olomucenſem quoq; Epiſcopatum aliquamdiu adminiſtraſſet, A. C. CIↃ CCCCXCII. accitis è Sileſia D. Franciſci ſodalibus poſthabitis, quæ apud mortales ceteroqui prima ſunt tiaram poſuit, & Vratislauiam cum ijs profectus, cuculligerâ veſte ſumtâ vitæ reliquum inter monachorum choros egit. Virtutes eius toti orbi notiſſimas Bonfinius paſſim tum dec. 4. lib. 10. ſub finem copioſè deſcribit. Curæus autem noſter eum cum Iano Pannonio Epiſcopo Quinque eccleſienſi, cuius monimenta ingenij clariſſima exſtant, confundit: Fama tenet, nec à vero abhorrens dixiſſe Ioannem ad Epiſcopum Vratislauienſem cognomine Rothum: *Et vos eritis* (verbis refero vetuſti manuſcripti codicis) *aliquando Monachus.* Reſpondiſſe Epiſcopum: *Non deſcendo de ſuperiori & perfectiori ſtatu ad minorem.* Cui iterum Monachus: *Quid ſi & vos diabolus infatuaret, ſicut me infatuauit?*

Nobilioris ſexus monaſteria præcipua Vratislauiæ hodieq; tria.

I. D. IACOBI cœnobium: quod fratribus D. Franciſci Aſſiſinatis

natis (quem in ecſtaſi cum Chriſto cōmiſſum totidem ab eo ſtigmatibus & plagis cōpunctum ijſdem in locis fuiſſe, quot ipſe acceperat in cruce, volunt) nouo tunc inſtituto viuentibus ab *Henrico Pio* D. Hedwigis F. à Tataris cæſo atque iſthic humato conſtructum auorum memoria D. VINCENTII nomen induit: translatis illuc cœnobiarcha ac ſodalibus monaſterij ſub urbani à *Petro Durino Dano* Præmonſtratenſi ordini (de cuius inſtitutione ex Chronographico hoc diſticho liquet,

Anno milleno centeno bis quoque deno
Sub Patre Norberto fundatur candidus ordo)

circa A. C. CIↃ C XXXIX. conditi, & cætera huius vrbis monaſteria ſplendore ac dignitate multis modis ſupergreſſi: ſed quod cum belli temporibus propter viciniam vrbi nō parum incommodare videretur, Vratislauienſes, vt hoc impedimento ſe expedirent, metus Turcarum tunc Auſtriæ metropolim Viennam obſidentium prætextu anno CIↃ IↃ XXIX. vna cum templo D. Michaelis & omnium Sanctorum amoliti ſunt. Multa Petri illius cum Vicentini cœnobij tum complurium aliorum templorum oīxıſ̄ in Polonicis noſtrisque hiſtorijs mentio: cui ſcripta incerto auctore Epitaphia ſi huic loco inſererem, gratiam à lectore me initurum exiſtimaui.

I.

Conditur hoc tumulo, ſacrum hoc, qui condidit olim
Delubrum Petrus nomine, gente Danus.
Ingenio linguaq; potens. Verum illud vt amplæ
Sortis cauſa fuit, ſic fuit iſta necis.

II.

Hîc iaceo infelix ſine linguâ oculisq; cadauer:
Non oculi exitio ſed mihi lingua fuit.

III.

Conditur hoc tumulo, ſacram hanc qui condidit ædem,
Fortunæ Danus conditor ipſe ſuæ.

II. D. VIRGINIS in Arenâ Regularium Ordinis D. Auguſtini

ſtini Canonicorum Abbatia à Maria Petri Dani vxore excitata, teſte inſcriptione quadam ſuperliminari.

Has mater veniæ tibi do Maria Mariæ.
Has offert ædes Svventoslaus Vlaſcides,

& copioſo prædiorum cenſu numeroſiſq; prouentibus inſtructa. De primis huius cœnobij monachis in vetuſto manuſcripto, quem & ſupra laudaui, & beneficio V. Cl. *Chriſtophori Henſcheri* I C. & Syndici Vratislauienſis nactus ſum, ita ſcriptum reperio: A. C. 1170. *Valterus Epiſcopus (ita enim habetur in archiuis eorum) confirmauit priuilegia Canonicorum Regularium Arroaſienſium B. Virginis in Arena, qui prius habitabant in monte ſilentij aliàs Sobotka, à Vratisl. ciuitate diſtans per milliaria quinque, vbi Petrus Comes in vertice ipſius montis ſuum habebat caſtrum, prout adhuc extant reliquiæ caſtri eiuſdem. Deinde ipſi Arroaſienſes propter rigiditatem auræ, quæ ibidem vigebat, tranſtulerant ſe ſub montem ipſum, vbi nunc Gorka locus appellatus. Poſteà Vratislauiam venerunt in locum, vbi nunc Prædicatores morantur ad S. Adalbertum. Tandem mutantes locum dimiſerunt ipſis Prædicatoribus in ciuitate manſionem cooperante ad hoc Epiſcopo Vratislauienſi fundatore eiuſdem monaſterij, & ſe extra ciuitatem in Arenam ſiue inſulam receperunt, locum ædificiis replentes.*

Abbates numerantur XLIII. in quibus infulas à ſancta ſede obtinuit *Conradus de Laslan* A. C. CIↃCCCXLV. Eum ex interuallo ſecutus *Ioannes de Croſchna*, cui cum Abbate D. Vincentij *Marco* de loci prærogatiua ſiue ſeſſionis ordine cõtrouerſia fuit: cuius ea tandem dirimendæ, cum vtérque multum pecuniæ in vrbe litigando conſumſiſſet, à Pontifice inuenta eſt ratio, vt alternis annis ius πρεσδείας definiretur, atque adeo hic vno, ille altero anno priorem in conſeſſibus publicis locum occuparet. Templum ipſum elegantis & ſumptuoſæ ſtructuræ, picturis & altaribus excultum. Muſicam ſodales ad rem diuinam adhibent, vt liberè dicam, inſignem, nec ſimilem alijs in cœnobijs audire contingat.

III. D. ADALBERTI Dominicanorum (quos notiore nomine

nomine à ſtudio concionandi Prædicatores adpellant) conuentus: in quem *Iacinctus* tunc nouæ illius ſectæ & ſodalitatis monachus de territorio Oppolienſi (qui poſt mortem multis annis propter ſanctimoniam vitæ actæ & miracula in numerũ diuorum relatus eſt) *Cieslaum* atq; *Godinum* collocauit: quorum illo iugibus precibus & lachrymis Dei miſericordiam implorante Tataros ab arcis Vratislauiẽſis obſidione flammis de cœlo delapſis repulſos Polonicarum rerum ſcriptores tradunt. Tentata eius ante annos haud ita multos canoniſatio. Verùm ad Herculis Chriſtiani conceptionem longiorem noctem eſſe oportet. Nobilium patriciorumq; multi, quibus religionis eius ſanctitas perſuaſa erat, hac in æde tumulari quondam elegerunt, vt lapides & arma gentilitia parietibus fixa depictáque teſtantur.

Addendum his Hoſpitale D. MATTHIÆ ſodalibus crucem cum rubeâ ſtellâ inſigne profeſſionis ſuæ in togâ geſtantibus ab *Anna* Henrici Pij vxore, Ottocari Boiemiæ Regis filiâ extructum: cuius antiſtes eius ordinis per Poloniam & Sileſiam Magiſter ſupremus.

Templum præterea D. DOROTHEÆ Caroli IV. Imp. ſumptibus conditum, mole ſuâ maximum, quod multis retrò annis vacuum & deſertum à chordigeris pro nuper eſt occupatum: vt & CORPORIS CHRISTI, commendatariam habens Ioannitarum ſiue Ieroſolymitanorum equitum, qui poſt expulſionem è terrâ ſanctâ Rhodienſes, nunc Melitenſes poſt captam Rhodon adpellantur: cuius fundi reditúsque Senatui oppignorati.

Cœnobia Virginum tria.

I. D. CLARÆ, ſacris virginibus ordinis *D. Claræ* (quæ ſanctitatis opinione clara *Franciſcum* ciuem ſuum imitata, vt ipſe monachorum, ſic ipſa monialium ſiue nonnarum ordinem circa annum Chriſti CIↃCCXXV. inſtituit) ſub Abbatiſſæ diſciplina viuentibus dicatum: quod ab ſe circa annum CIↃIↃLX. con-

ſtructum neceſſarijs quoque fundis & opibus inſtruxit *Anna* Henrici Pij vxor, quæ iſthic in D. Hedwigis ſacello ſepulta eſt, miraculisq; claruiſſe dicitur.

II. D. CATHARINÆ, Prioratus Ordinis S. Dominici, ſeu Prædicatorum: de cuius fundatione nihil certi habeo.

III. D. ANNÆ in Arena Ordinis S. Auguſtini Canonicorum Regularium.

Reliqua minorum gentium fana *D. Barbaræ, D. Chriſtophori, D. Hieronymi, S S. Trinitatis, Saluatoris, vndecies mille Virginum, D. Aegydij, D. Martini, D D. Petri & Pauli, S. Nicolai, S. Mauritij, S. Lazari* nominaſſe contentus ad loca ſacris ſimilia deſignanda pergo. Ea verò ſunt *Scholæ* & *Hoſpitalia*.

Scholæ in vrbe tres, ſingulæ ſingulis templis parochialibus adiunctæ, Senatus & ciuium liberalitate conſtitutæ, additis in vſum Rectorum, Profeſſorum, reliquorúmque docentium, pro cuiusq; conditione & modo, liberalibus ſtipendijs. Et *Eliſabethana* quidem inſigni præ reliquis viſendóque ædificio ornata eſt.

Hoſpitalia, vt vocant, ſiue Xenodochia, Noſocomia & Gerontocomia Vratislauiæ viſuntur complura: in quibus omnis generis ægroti, debiles, ſenes (quibus curta domi ſupellex, nec ad perficiendum reliquum vitæ iter viaticum ſupereſt) ex fundorum contributorum reditibus, gratuitáque & collaticiâ ciuium ſtipe curantur atque aluntur.

Nec deſunt *Orphanotrophia* ſiue *Brebotrophia*, vtriuſque ſexus orphanis pauperioribus & expoſiticijs educendis educandisq; vſq; dum adoleuerint, erecta. Adulti vel mercatoribus, vel opificijs mechanicis, vel liberalioribus ſtudijs pro cuiusq; genio & indole addicuntur. Puellæ vero in familias honeſtas ancillatum dimittuntur.

Pro lue tabifica infectis auerſa parte vrbis in ſiniſtra Viadri ripa *Valetudinarium* ante annos haud ita multos ædificatum eſt ampliſſimum: tam arduo & luculento opere, pomerij latitudine, mu-

ne, muro cortili, tecto lateritio, concamerationibusq;, vt plurimorum nobilium arces & palatia longe ſuperet.

Inter profana vrbis ædificia præcipua primo cenſenda loco *Curia Senatoria*, das Rathhauß / quaſi conſilij domum dicas, quod Senatorum totiusq; magiſtratus vrbani veluti prætorium ſit, in foro primario vrbisque adeo centro (vt ſolent fere vrbes politiores centrum ſignare curijs) ſpectabili loco collocata: eaque operis eximij, & vrbanæ ſeu magnificentiæ ſeu opulentiæ ſuperioris ævi certum monumentum: tantæ præterea amplitudinis, vt principum etiam atq; ordinum Sileſiæ conſilia & conuentus plerumq; in ea habeantur. Additam habet turrim egregiæ altitudinis, quæ anno CIↃ IↃ LIIX. pulchriori ſpecie cœpta reſtaurari, & altius educto faſtigio, tum horologio inſigni ornata eſt. Quo loco illud vel obiter operæpretium eſt adnotare, anno demum CIↃ IↃ LXXX. horologiorum rationem Vratislauiæ fuiſſe commutatam, conſtitutumq; publico decreto, a.d. XXIV. Iulij: vt dies deinceps nō ab occaſu ſolis, vt apud Atticos & maiores noſtros, & paſſim in Boiemia atque alicubi etiamnum in Sileſia, ſed à media nocte, vt in pleriſque Germaniæ locis more veteri Romano inchoaretur.

In depreſſiori vrbis, qui ad Oderam vergit loco, *arx* viſitur, quæ vulgò *Curia Cæſaris* Keyſershoff vocatur, & Sigiſmundi Imp. opus exiſtimatur, in qua hodie Cameræ Sileſiacæ collegium conſeſſum ſuum & perpetuos habet conuentus.

Armamentaria Vratislauiæ duo, tam inſigni inſtrumentorum omnium copiâ, tormentorum, mortariorum, lithobolorum, colubrorum, bombardarum, ſcloporum, ſpingardarum multitudine, romphearum, lancearum, fariſſarum, haſtarum, gladiorum loricarum, aliarumq; munitionum & armorum omnis generis theſauro, rerum ordine, facili vſu promptáque ad omnes neceſſitates expeditione: vt cum quibuſvis Germaniæ vrbium armamentarijs conferri poſſint.

Granaria frumentis & rebus ad victum neceſſarijs refertiſſima di-

ma diuersis ad id destinatis locis aliquot sunt constituta: quæ quidem in rebus & annona arcta amplissimus vrbis Senatus, quasi benignus pater, misertus plebis egenæ. c tenuis aperire, frumentumq; non quidem nullo, sed modico aut tolerabili saltem ære distribuere consueuit.

Aliorum ædificiorum, quæ ciuium vsibus seruiunt, qualia sunt *Libra* publica vetus & noua, *Domus negotiatorum, Laniena siue laniorum officina, carceres publici, &c.* non exiguus est numerus, quæq; omnia particulatim hîc referre nimis prolixum foret.

Non oculis prætereunda conniuis *receptacula* siue *castella illa aquaria*, Wasserkünste: in quibus ex Viadro & Olaua deriuata magnis versatilibus & excauatis rotis alijsq; machinis artificiosis sursum attrahitur in locum: indeq; per subterraneas formas tubasq; in remotissimas vrbis partes large dispensatur: vt quos negauit natura fontes, ars abunde suppeditet, rarasq; adeò vrbe tota reperias domos sine anthleis, quas architecti vocant: è quibus aquam prona facilique, quisquis volet, etiam puer hauriat manu.

Neque lustrare pigeat loca exercitijs, quæ balistis & sclopetis armorum genere hoc tempore præ cæteris vsitato non tam in oblectationem & pompam, quàm Reipublicæ bono varijs diebus habentur, destinata: quæ cum oculis magis quàm auribus dijudicentur, multam super ijs hîc operam consumere aut longos facere logos nihil attinet.

Priuatæ ciuium ædes, vt pulchri corporis apta ac decora membra, in tam splendida & nitenti vrbe pro ipsa vrbe: quæ in foro præsertim aut foro proximæ, non modò amplitudine & specie insignes, sed & pulchro ordine atque eleganti serie constructæ: quas ob id magnus quoque Iurisconsultus & insignis practicarum consuetudinum obseruator *And. Gailius* commendauit. Et *Dan. Sigemundus* Cassouius in itiner. Germ. & Sarmat. versibus hîc quoque legi dignis: Sed in quibus Poëticam ὑπερβολὴν non abnuerim.

At tu,

At tu, quæ latè populos moderaris & vrbes:
Hospitij salue nomine Bresla mei.
Non tibi Pannoniæ tot clara per oppida vidi,
Vistula nec tumulo, quâ fluit amne, parem.
Æmula Romuleis nitantur tecta colonis.
Et Pariis fulgent atria marmoribus.
Arcibus æquandæ tibi sunt & turribus ædes:
Principis est magni regia quæq; domus.
Nec tamen interea tot in ædibus ordo vagatur:
Apta locat series ordine quamq; suo.

Neque verò ciuium domibus cedunt, imò cum ijs contendunt, Canonicorum in insula palatia, tam splendida atque omnis generis ornamentis instructa, vt nec Principes inhabitasse piguerit.

Horti non in suburbijs modò, sed & intra pomeria amœnissimi fertilissimiq; largum epularum, quas terrestres Plautus, Horatius egregiè sine sanguine cœnas adpellat, vsum locupletibus æquè ac pauperibus præstantes, & suauissima quadam iucunditate vel inuitos inuitantes. Vel enim arboribus quà fructiferis, quà delectionis tantũ gratia coli solitis, puta pomis, piris, prunis, cerasis, persicis, nucibus, cotoneis siue cydonijs, castaneis, amygdalis, vitibus, ficubus, sed quæ hyemis impatientes ad hyberni cœli iniuriam sub tecta subducendæ, tum semper virentibus buxis, ex quibus mille rerum formæ opellis topiarijs doctâ manu finguntur, vndique sunt consiti: vel lupinis, ciceribus, phaseolis, pisis, fabis, smilacibus, alijsq; leguminibus pleni: vel herbis edulibus ac radicibus (quales sunt caules siue brassicæ in olerum genere precipuè multarum specierum, betæ, atriplices, lactucæ, rapæ, raphani, pastinacæ, asparagi, allia rusticorũ theriaca, cepæ vsitatum his locis in coctione piscium præsertim luciorum, vt & alijs in cibis condimentum, petroselina plerisq; ferculis innatantia, cucumeres & huiusmodi complures, in quibus nec melones, pepones, cinaras aliasq; id genus hortenses

delicias.

delicias desideres) refertissimi: vel denique lilijs, rosis, violis, rosmarino, maioranâ, cypariſſo & multiplicibus alijs quàm benè olentibus herbis coronarijs ac floribus ornati. Quos quidem inter nõ solùm coloris elegantiâ & varietate, sed & odoris fragrantiâ ac suauitate principatum sibi facilè arrogant Phloges siue Caryophyllæi flores propter odoris similitudinem cum Caryophyllis sic adpellati, nonnullis lychnides coronariæ: quibus haud scio an vspiam locorum gentiúmve tantus à florum studioſis adhibeatur cultus, magnitudine fœnoris cultorum laborem abundè compensans. Cum autem celebres sunt Vratislauiæ multorum horti, tum verò præcipuè mihi nominandus SCHOLZIANVS: quem Cl. V. *Laurentius Scholtzius* Medicus Vratislau. ante annos aliquam multos neglectum anteà ac ruinosum suis sumptibus instaurauit, & inquilinis atque exoticis plantis egregiè exornatum, quamdiu vixit, impenso sanè studio coluit. Verbis exprimi non potest, quæ florum herbarumq; in eo copia & varietas, quis ordo, quam aptè omnia in areolas suas puluillosq; disposita, quæ frondium textura, quæ viridaria: vt haud præter rem & meritum scripsisse videatur *Iohan. Matth. VVackerus à VVackenfels* imperialis consilij in Aula Cæsarea Senator:

Thessaliæ laudent alij cultissima tempe:
Commendent hortos Alcinoiq; alij.
Ille Guilandinâ viridaria, consita dextrâ,
Iste Aicholce tuos Cæsariáne tholos.
Nos SHOLTZI *miros celebremus solius hortos,*
Naturæ atque artis nobile ditis opus.
In queîs Thessaliam vincit vel sarmata tellus,
Slesius Austriacum, Prussiacum, Alcinoum.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

Aduersa vrbi ab aquâ, peste, igne, annonæ charitate, bellis & hoste externo, ab hoste denique domestico & seditionibus.

PRÆCIPVA fata siue calamitates memorabiliores vrbi acciderunt.

I. Ab *aquis* multoties: cum rarus sit annus, quo non Odera fl. imbribus nimijs aut solutis derepentè hybernis niuibus intumescens ripasq; egrediens

——oppositas euincat gurgite moles:

& pontibus, molis, ædificijs, aggeribus, agris denique detrimentum adferat.

II. A *peste* item haud rarò, præcipuéque patrum nostrorum ætate A. C. CIↃIↃXLII. quo intra XXII. hebdomadarum spacium quinquies mille nongentos homines mala illa Diua sustulit: itemq; A. C. CIↃIↃLXIIX. quo pestifera lues adeò sæuit, vt extingueret fermè decem millia hominum, nõ venientibus in numerum, qui à partibus Pontificiorum perierunt. Cuius quidem pestis atrocitas V. Cl. M. Helwigio Epigrammatis, quod sequitur, materiam præbuit, in προνάῳ siue vestibulo ædis Elisabethanæ marmori à Bon. Koslero incisi.

Quæ patrios intra muros grassatur & extra.
Quò ruat infausto sidere dira lues,
Miraris sceleri indulgens? Non iusta sequatur
Quæ mala compescat vindicis ira Dei?
O sceleri iam pone modum, tuq; optime mundi
Arbiter ô trepidum fac tueâre gregem.

Et iterum anno CIↃIↃLXXXV. pestis contagio magnam totâ regione stragem dedit, cum primis verò Vratislauiæ: vbi quamplurimi quotidiè extincti efferebantur, in quibus aut fortuna aliqua aut dignitas certatim relictâ vrbe alio commigrantibus. 8431. funerum omnis generis in rationem Libitinæ eo anno veniſſe scribuntur.

III. *Ab igne*: primum quidem anno CIↃ C C. quo vrbem totam fortuito incendio absumptam fuisse, priuilegiaque, tabularia & monumenta Reipubl. exusta annales testantur: qui & hoc addunt, cum anno CIↃ CC XLI. Tatarorum aduentantium metu exusta fuisset, aliquot exinde annis, anno nimirum CIↃ CC L X X II. die S. Stanislai pro maiori parte conflagrasse: iterumq; quadriennio post, & rursum anno CIↃ CCC X L II. flammis similiter vniuersam penè absumptam. Inijciunt & mentionem incendiorum, ex quibus CIↃ CCC LII. & IIX. Kal. August. an. CIↃ CCC LXVII. post exactos vrbe Iudæos magnam cladem acceperit. Atque hæc ferè præcipua ab Vulcano illata damna reperio: ex quibus nihilominus hoc consecutum est, quod ipsa iniuria maiorem fortunæ locum fecerit, & in hoc solum vrbs cecidisse visa fuerit, vt angustior multò & splendidior, tanquam post busta Phœnix funeri superstes suo, resurgeret. Quamuis autem exinde sæpius ignis ædes hinc inde inuaserit, mirâ tamen ciuium atque operarum sedulitate, aut felicitate potius dicam, absque notabili vrbis clade, repressus fuit: non parùm eam rem adiuuantibus vrbanæ politiæ legibus, quæ de incendijs scriptæ sunt, accuratissimis.

IV. *Ab annonæ caritate siue raritate*, quæ vrbem & vicina loca non semel afflixit, nominatim anno CIↃ CCCXV. & CIↃ CCCC XXXVII. quibus cum tanta fuerit totæ Poloniâ & Silesiâ fames: vt hoc herbas & gramina populus passim voraret; illo verò parentes à proprijs filijs, reliqui à cadaueribus & immundissimis cibis non abstinuerint: calamitatum istarum minimè expertem fuisse Vratislauiam credibile est. Nostrâ memoriâ anno CIↃ IↃ XCIX. & seq. similis hac regione caritas fuit, quâ & periêre multi, & non pauci adacti, vt in vsum ciborum quærerent, verterentq; fœdorum animalium cadauera. Eaq; plaga multò adhuc fuisset intolerabilior, nisi & illustrissimorum Principum in hac prouincia & amplissimæ inprimis Reipub. Vratislauiensis singulari quadam & perpetua prouidentia apertis commodissimo tempore

pore in vsum pauperum granarijs, & legibus immodicæ æstimationi positis præsentibus incõmodis maturè obuiam itum fuisset.

V. *A bellis & hoste externo* Vratislauiæ malè fuit, cum anno CIↃXXXIIX. *Bretislaus* siue *Prædislaus* Boiemiæ Dux cum valido exercitu ferro & igni Silesiam, quæ posterius sic dicta est, & maiorem Poloniam quàm longissimè depopulatus Vratislauiam, Gnesnam, Posnaniam aliaq; oppida complura diripuit & incendit, nulli neque sexui neque ætati hominum parcens. Anno deinde CIↃ CCXLI. cum Tartari siue Tatari (sic enim potius scribendum, tum quod ita dicti sunt à Tataro flumine, tum ex auctoritate Saxonum, eiq; vicinorum, qui Tataros appellant, & Græcorum quorundam librorum manuscriptorum, testimonio denique veteris Epigrammatis Ottocaro Boiemiæ Regi positi,

O Rex Ottocare quondam pugnastis honestè
Nunc stas in pannis depictus cum Tateranis.

in Pand. historiæ Turc. notat *Iohan. Leonclauius*) cum immensa multitudine sedibus suis progressi instar cuiusdam cataclysmi seu diluuij aut torrentis in Hungariam, Poloniam & Silesiam irruerunt, omniaq; fœdum in modum deuastarunt. Et Silesiam quidem ingressi, quum disiectos Oderæ pontes reperissent, compactis ex tempore ratibus apud Ratiboriam flumen traiecerunt: mox quanta potuêre celeritate ad Vratislauiam festinarunt. Quo nuncio accepto ac defensione vrbis parum munitæ desperata Vratislauienses suppellectile sua & commeatu in arcem editiori insulæ loco, qui S. Crucis olim, nunc D. Martini adpellatur, sitam comportato, vrbem reliquerunt: milites verò, qui in præsidio arcis erant, ne hostibus prædæ vel receptaculo esset, incenderunt. Indignati ergò Tatari arcem obsidione, sed frustra cinxerunt: diuino, vt compertum est, ostento (flammis quippe de cœlo cadentibus & latè inter ordines ipsorum discursantibus) ita perterriti, vt nihil cunctati obsidionem soluerint,

rint, fugientibusq; similes abierint. Quod autem interea duces Silesiæ, quorum caput erat *Henricus Pius*, coactis quam maximis potuêre copijs ad Lignicium vrbem subsistere intellexissent, suas & ipsi copias properè eò deduxerunt, & ad locum vno milliari à Lignitio dissitum, qui Walstat etiamnum appellatur, quinto idus Aprilis prælium commiserunt: in quo quanquam diu ancipiti Marte depugnatum esset, tandem tamen Silesij multitudine hostium superati, ac fatiscentes continuitate, ac pertinacia prælij cesserunt.

Quis cladem illius solis, quis funera fando
Explicet?

Neque enim tantum in eo prælio præter principem ipsum *Boleslaus Marchio Morauiæ Henrici amitinus*, *Pompo*, Fratrum siue sodalium Teuthonicorum piam contra barbaros militiam sub titulo S. Mariæ professorum in Borussica Magister, alijq; plurimi viri fortes ceciderunt: Sed & tantus interfectorum Christianorum numerus fuisse scribitur, vt singulis singulæ auriculæ à Tataris præcisæ, nouem ingentes saccos explerent. Cadauer Henrici inter cæsorum corpora repertum, & cum caput à Tataris esset abscissum, ab vxore *Anna* ex sexto sinistri pedis digito agnitum Vratislauiæ in cœnobio, quod tunc *D. Iacobo*, nunc *S. Vincentio* dicatum est, inhumatum fuit: vbi & *Pompo Magister* cum pluribus eiusdem ordinis fratribus sepultus.

Ab ea clade vix respirans Vratislauia paucis annis post non modò trimestrem *Boleslai Lignicensis*, qui *Henricum* fratrem ducatu excutere conabatur, obsidionem sustinuit, sed & cum maioribus copijs secunda tertiaq; vice redeuntem re infecta discedere coëgit: non parum frementem, quod expeditionibus illis sumptuosis nullum tantis sumptibus dignum operæ precium feciisset.

Neque verò parum negotij Vratislauiensibus fuit cum *Hussitis*, qui cum A. C. CIↃ CCCC XXVI. torrentis instar magnam Silesiæ partem peruagati nõ tam religionis feruore, quàm barbarico furore ferro & igne in quicquid sacrum profanumque, sæuirent, Vratislauiensium quoque suburbia spoliata inflammarunt: ab ijsdem tamen magnis exinde cladibus non semel adfecti: quippe cum Vratislauienses potissimum Suidnicensibus iuncti in reliquorum Principum aut ignauia aut imbecillitate pro patria in excubijs essent, suaq; vigilantia totius prouinciæ ruinam auerterent.

Amplius grande malum Vratislauia sensit *Georgio Podiebradio* rerum in Boiemia potiente: cui quàm pertinaciter grauiterq; aduersata, tantas ipsa vicissim difficultates atque incommoda perpeti coacta fuit: quarum vberiorem narrationem ab historicis petere licebit.

Denique à *Casimiro* Polono & *Vladislao* Hungariæ atque Boiemiæ Rege frustrà Silesiæ ducatum contra *Matthiam* Pannoniæ regem sibi vindicante obsessa, sed *Matthiæ* virtute & ciuium constantia periculo subtracta. Sed tanti est, vt summa belli illius minimè tralaticij capita recensеamus. Post *Georgij* Boiemiæ regis excessum de Silesiæ Morauiæq; imperio reges modò commemorati tàm grauiter decertabant, vt A. C. CIↃ CCCC LXXIV. res ad arma veniret. Et *Matthias* quidẽ celeritate reliquos duos anteuertens cum exiguis quidem sed lectissimis copijs Silesiam ingressus a. d. X III. Sept. Vratislauiam peruenit: ad quam etiam vrbem *Ernestus* Saxoniæ Elector, cum *Ioanne* Electore Brandenburgio de pace inter Reges acturus venit, ibidemque prid. Kal. Octob. *Matthiæ* Regi propter ducatum *Saganensem*, quem à *Ioanne* emerat, clientelæ iure se deuinxit. *Casimirus* ingentem adducens exercitum, & in quo vel vno ad fragendas Turcarum vires satis esset, ad sexaginta quippe millia armatorum, in quibus Lithuani quoque & Tartari erant, sub initium Octobris in Ducatum *Oppolienſem* processit, *Cruciburgum* & *Bicinam* oppida nullis penè munitionibus firmata primo incursu ac labore cepit agros populationibus quoquo versus permissis vastauit. Viadrum propter siccitatem tum vadabilem prope Crapicium

transmisit, omissaq; Oppoliæ oppugnatione Vratislauiam, vbi à Matthia expectari se acceperat, contendit, & prope Olauiam castra fixit. Occurrerunt autem ei præter Vngaros & Boiemos de inducijs sollicitantes, Ernesti quoque Electoris legati de pacis compositione inter reges tractantes; quam quidem Polonus minimè recusare videbatur. Dum autem caussa adhuc dubia hinc inde commeant legati: Matthias improuiso aggredi castra Polonica, quæ à suis quatuor tantum milliaribus aberãt, statuit: nam & regem improuidum lentumq; esse nouerat, & disciplinam in eius exercitu licentiam corruptam sciebat: Itinere illo noctu properanter confecto stationes Polonicas inuadit, pabulantes excipit, & in fugam vertit. Quibus quum opitulatum Tatari & Lithuani Polono militantes cum aulico eiusdem comitatu accurrerent, vt numero ita vi superiores, tumultuaria pugna Vngaros persecutores in fugam vicissim agunt, & cum clade in vrbem repellunt.

Ad mille omninò desiderati feruntur: capti præter gregarios milites sexaginta nobiliores, in quibus tribuni regij *Guilielmus Bernstenius* Boiemus, & *Petrus Haugvvicius* Silesius: quos tamen tunc interfectos Fabricius memoriæ prodidit.

Post hoc prælium duodecima die Octobris commissum, oratores Electoris non diu in castris Polonicis commorati, cum turbatas viderent actiones pacificas, rebus infectis, & hoc vno à Casimiro impetrato, ne Saganense territorium à suis infestari permitteret; Vratislauiam redeunt. Saxone interim & Brandenburgico non cessantibus, vt pax vtrimque conciliaretur.

Quartadecima demum Octobris die *Vladislaus* Boiemiæ rex viginti circiter millia Boiemorum, maiore ex parte peditum in exercitu habens aduenit: cum prius in itinere *Francosteinum* ob damna non exigua à Matthiæ militibus ad *Monsterbergam* sibi illata exussisset. Salutatione & gratulatione mutua peracta, vtraque castra ab Olauia sunt Vratislauiam versus promota, non tamen mœnibus coniuncta, quoniam Matthias tormentis & machi-

machinis longè superabat: qui & ipse castra sua ad vrbem communierat apud monasterium D. Vincentij, vt è re nata posset consilium capere. Inde tacitus, quid reges inceptarent, speculabatur: Polonorum & Boiemorum agmine conspecto cum suspirijs & fremitu dicens, se totius orbis imperio potiturum, si tanti exercitus Imperator esset. Cæterum ij desides & inertes tempus terere, nihil in medium consulere, castra non fossa non vallo nec diligentibus vigilijs munire, imperia ducum contemnere licenterque ab ordinibus & signis per agros prædæ caussa vagari. Ideoq; rarus dies intercessit, quin complures ex illis interciperentur: adeò quidem vt plenæ essent captiuorum turres & ergastula Vratislauiensia. Suadebant nonnulli, vt alueus Viadri, aqua paucorum dierum labore alio deriuata siccaretur, traductaq; copiarum parte vrbs vndiq; obsideretur. Sed nec huic nec alijs salutaribus consilijs attendebatur. Accedebat ex villis & molestrinis improuidè exustis duplex aliud in castris malum, λοιμὸς καὶ λιμὸς pestis & frumenti penuria. Subuehebantur quidem è Boiemia panis & cereuisia: Sed non sine difficultate, & permagno veniebant. Polonica autem itinera ab ipsis etiam Polonis, qui Matthiæ contra regem & populares suos merebant, insessa erant. Incendio præterea a. d. XII X. Octob. fortuitò non modò magna castrorum pars, tum homines & equi plurimi, sed & quingenti currus victu & armis onusti cremati fuerant. Matthias vbi animaduertit tantam hostium suorum ignauiam pariter & insciti am, despicere, quos ante formidauerat, cœpit: missoq; in Poloniam maiorem Stephano de Zapolia, cui se *Fridericus Lignicensium Dux* Glogouiæ associauit, suæq; nobilitatis equitatum sub imperio *Casp. Nosticij* coniunxit *Henricus Freistadiensis*, omnem eam oram spolijs, atque incendijs vehementer afflixit; arcemq; ijs in locis magni nominis Mesericiam siue Medireciam in sui potestatem redegit: non minus interim in altera Orientali ora *Nicolao Oppolienſium Duce* diris in Poloniam populationibus grassante. Hæc cum ita fierent, & pestis

pestis famesque in castris Boiemorum & Polonorum ingraueſceret, de pace inter reges seriò agi cœptum est. Congressi bis in patenti campo, primum quidem a.d. XIX. Nouemb. Casimirus & Matthias soli, vbi ridicula quadam ambitione inter reges certatum, cum Matthias nudo capite, rutaceo tantum serto coronatus, obuiam Casimiro prodiret, ne capite illum de tecto salutare cogeretur, Casimirus autem multis pellibus tectus, eas de industria collo sic obuinciret, vt honorem Matthiæ habere non posse videretur, annales nostri tradunt, quanquam aliter rem narret Dubrauius: Deinde verò a. d. XXI. Nouembr. vna cum Vladislao: neque quidquam tamen tam inter reges constitutum, quàm vt designarentur à singulis consiliarij quaterni ad tractandum Vratislauiæ negotium. Quod cum factum esset, re inter delegatos agitata, pax quidem solida & perpetua tunc non conuenit, impedita Elisabethæ reginæ fastu & odio pertinace: quæ bellum adfinititate finire Matthiã capientem, quod neque regio, neque ducali genere natus esset, generum aspernabatur: & quod patrui sui fratrisq; inimicus fuisset, auersabatur. Indulgebat autem ei plusculum maritus γυναικοκρατούμενος. Cęterum induciæ triginta mensium constitutæ: captiui & munitiones interceptæ vtrinque redditæ. Prutenos quoque eo in fœdere Matthias cum sua caussa coniunxit. Saxonis nomine consultando affuisse *Guilielmum Comitem Hennebergium*, *Hugoldum Sleinicium*, *Ditericum Schonbergum*, *Ioannem Scheibam* Lipsiensem Iureconsultum Fabricius testatur. Hunc in modum bello finito *Casimirus* in Poloniam, *Vladislaus* in Boiemiam haud sine clade & dedecore, septem millibus è suorum numero desideratis, & plerisque impedimentis amissis, remigrarunt.

Ceterum dici non potest, quàm grauis isto tempore Silesiæ hospes *Matthias* fuerit: quippe quam non solum grandibus exactionibus exhausit, sed & militum libidini nimium indulsit; qui penè minùs qnàm hostes tolerabiles non modò exagris sociorum

ciorũ late prædas egerunt: sed & in Vratislauiensiũ facultates grassati, vxores quorundam & liberos secum abduxerunt.

VI. *Ab hoste domestico & seditionibus*, sub *VVenceslai* X. Bojemiæ Regis imperio. Legeratis anno CIↃ.CCCC IV. nouum è patriciis (in quorum numero tunc fuisse leguntur *Dominici*, *Hornigii*, *Banckii*, *Reichelii*, *Ienckvvicij*) senatum: sed quem plebs vrbana, quæ frequentia & opibus adultior, ac libertatis dulcedine præceps ausa exuere officium, & retinendi sui iuris imperata segnius facere vel prorsus abnuere, in rectores & optimates subinde insurgebat, abrogauit, suaq; pro libidine Remp. formauit. Ab eoq; tempore in vrbe gliscere cœperũt factiones & simultates: quæ licet semel iterumque pace data acceptaq; compositæ, tamen recruduerunt, & in grauissimã tandem seditionem desierunt, ab impotente plebe anno CIↃ. CCCC.XIIX.15. Kal. Vtil. qui hodieq; ea de caussa pro nefasto habetur, concitam. In curiam se abdiderant senatores trepidi, neque ad resistendum pares: cum ecce seditiosi cæco & populari motu foribus effractis impetum faciunt, eodemq; furore Senatores aggressi manus & vincula iniiciunt, pleroſque aut suis manibus aut per carnificem trucidant, vnum etiam è turri præcipitem (horreo dicere) deiiciũt: quem plebs inferne lanceis spiculisque exceptum laniauit. Tum seras & claustra cistis, armariis, & archiuis senatus defringunt, pecunias inibi repertas auferunt, priuilegia dilacerant, & vsui suo quod erat, tollunt. Indicium nefarii illis facinoris etiamnum præbet ianua lignea prætorii, miris ictibus attrita furiosorum hominum, quæ nunc claudit sacellum S. Materni in cœmiterio D. Elisabethæ. Neque tamen impune id ipsis fuisse credendum. *Sigismundus* quippe Imperator anno CIↃ. CCCCXX. mense Ianuario Vratislauiam veniens prid. Non. Martii non modo patriciis honorem pristinum & magistratum restituit, sed & iram ac vindictam suam in turbatores ostendit: è quibus XXII. magnam partem opificum tribuni gladio, plures exsi-

lio pœnas dederunt, bonis eorum Senatus ærario adiudicatis.

Instituto contra illos iudicio à Rege adhibiti Svvidnicenses, Iavvrienses, Leobergēses, Boleslavienses, Reichenbachēses, Hirsbergenses, Namislauienses & Nouoforenses: tū Henricus de Lippa regni Boiemiæ Marescalcus, Albertus de Colditz eiusdem regni Camerarius, Henricus de Lasan Capitaneus Vratislauiensis Nicolaus de Lobcovvitz, Ioannes de Costelitz, Henricus de Lasan præfectus Svidnicensis Georgius Zettros subpræfectus Vratisl. & Ioannes Wiltberg. Atq; hæc quidem sat sunto de vrbe, eius operibus & calamitatibus.

CAPVT QVINTVM.

Dominorum Vratislauiæ cum æui veteris tum recentis enumeratio.

PRoximum nunc est ciuitatem & Remp. inspicere, ac quæ circa eam sunt ad rem aut honorem vrbis breuiter enucleare: & quod in facie fronti, in acie Duci, hoc in scriptione nostra atq; adeo Repub. *Dominis* elargiri, vt primas teneant. Fuere illi antiquitus *Poloniæ Principes Regesq;*, quibus longo tempore subditam fuisse Vratislauiam, & iam tum, atque ex eo præsertim tempore, quo *Casimirus* sedem & collegium Episcopi Silesiæ, quod prius Sinegrouiæ & postea Bicinæ fuerat, Vratislauiam transtulit & pluribus reditibus donauit, supra cæteras Poloniæ vrbes caput extollere atq; adsurgere non nihil visam, notius est quam vt probatione egeat. Solebant vero tunc Principes Poloni primæ nobilitatis præfectum huc allegare. Cuius generis fuit sub annum Christi cIↃ. XCVII. *Vladislao* I. Imperante *Magnus* Comes illustris & spectatæ probitatis: qui quod Sbigneum Principis nothum in arcem recepisset, à præfectura amotus *Vtislaum* Boleslai Vladislai F. præceptorem successorem inuenit.

Cæterum ex quo Vladislai II. Poloniæ Principis filii *Boleslaus*, *Micislaus*, & *Conradus*, cui *Lasconogo* propter gracilitatem crurum

crurum cognomen fuit, opera *Friderici Barbarossæ* Imp. Silesiam omnem continentibus syluis à reliqua Polonia diremptam ad Boiemorum vsque Saxonumq; fines in ditionem suam, veluti in trientes inter se diuisam, acceperunt: propriorum Ducum siue Principum dominatum diutim Vratislauia pertulit: quorum indulgentia ac fauore maxima cepit incrementa, & immunitates (fidei ciuium erga dominos præmia) consecuta est amplissimas.

Primus ex iis fuit BOLESLAVS, quem dixi, cognomento Altus siue Procerus, idemque fratre Conrado mortuo Dux Glogouiensis, à Piasto huius familiæ exarcho in recta linea prosapię descendentis XI. vir bellicosus & iustus. In monasterium Leubense ad Oderam amnem nouis tunc exædificatū muris pro Benedictinis monachis, quos eo collocarat Casimirus Rex Poloniæ, Cistercienses (qui id temporis sanctitate vitæ ac quotidianis religiosæ pietatis exercitiis præ aliis commendabantur, Bernhardini iidem à Bernhardo primum Cistercienſi deinde Clarevallensi Abbate adpellati) de Portensi cœnobio euocatos collocauit A.C. 1178. vbi & post mortē, quam anno 1201. a d.b. Decemb. oppetiit, tumulatus fuit.

Eum secutus HENRICVS Barbatus filius, Princeps bonus ac virtute præstans, quiq; in Silesia conditis legibus, vrbibus ac tēplis excolenda patris pietatem adęquauit. Vxorem is habuit HEDVVIGIM Bertholdi Ducis Meraniæ, Carinthię, & Istriæ filiam, ex Caroli M. posteritate oriundā religiosam ac piā feminam: cuius rogatu instinctuq; Trebnicēse inter alia monasterium, tertio à Vratislauia milliario, puellis Cistercienſis sectæ ex Cœnobio Bambergensi huc translatis struxit instruxitque: addixitque eidem Hedvvigis indulgente marito opidum Trebniciam & complures pagos dotales.

Quin ipsa quoq; monasterium ingressa totam sese Deo cōsecrauit: & licet ardentissime maritum dilexisset, nec mortui tamen funus duxit, aut obuiā processit, nec ceteris viris iuxta

ac mulieribus plangentibus & lamentantibus fleuit, impium esse significatione luctus diuinę voluntati aduersari dictitans. Quin ne viuentem quidem illum sæpe adiit, nisi forte, vt pro calamitosis & iniuria adfectis deprecaretur. Cum enim post susceptam sobolem mutuo consensu perpetuam vouissent castitatem (cuiusmodi votum vouisse quoq; accepimus *Henricum II.* Imper. qui sancti nomen meruit, eiusque coniugem augustam *Kunigundim*, quorum cineres Bamberga seruat) totos fere triginta annos disiuncti vixere: ex eoq; tempore Henricus barbam promisit atque inde barbati cognomentum indeptus est. Obiit autem Crosnæ anno partæ salutis cIↃ. CCXXXIIX. a.d.XIX. Martii. Hedvvigis Anno cIↃ.CCXLIII a.d.XV. Octob. sanctitatis opinione in illo feraciſſimo sanctorum seculo ad miraculum vsque clara, ac tertio & vigesimo anno post à Clemente P.R. diuarum numero adscripta.

Natus ex eo matrimonio inter alios vtriusque sexus liberos HENRICVS PIVS, ditionum patris in Silesia, Lusatia & maiore Polonia heres: qui cum Tartaris anno cIↃ.CCXLI. in Silesiam irruentibus sese opponeret, fortiter pro aris atque focis & pro populo suo dimicans occubuit quidē, verum per gloriam in perpetuum viuit: vt quod Tirtæus Poëta in Elegiis de mortuo in acie pro patria

Αλλ' ὑπὸ γῆς καὶ ἐὼν γίγνεται ἀθάνατος.

Huic quoque sub terris vita, vt in ante, manet;

idem iure meritissimo de Henrico nostro vsurpare queamus.

Excepit ipsum in ducatu Vratislauiensi primum quidem BOLESLAVS cogn. Caluus & Rotgatca, mox commutata cum fratre ditione Lignicensi HENRICVS III. Princeps singulari benignitate, in suos gratiosus, & quî cum in portione sua cōcordissime vixit VLADISLAVS Archiepiscopus Salisburgensis, insigni animi corporisq; castimonia & integritate inclytus: de quo posteris hoc continentiæ traditum exemplū. Cum in Patauino Gymnasio literis operā nauaret, à paupere pa

re patre filia vsque ab vnguiculo ad capillum summum festiuissima oblata ei fuit, vt corpore dotem quæreret. Id cognoscens Vladislaus adolescentulam non retinuit, atque in deliciis & amoribus habuit, sed inuiolatam patri restituit, addita mediocri dote, quæ honestas ipsi nuptias conciliauit. Ab *Henrico* autem Vratislauia & iure Teutonico ciuibus è Germania passim confluentibus donata, & ædificiis pluribus aucta, & mœnibus communita perhibetur, quæ etiamnū in parte supersunt: Sed quibus haud dum absolutis siue veneno, vt creditum est, siue febri maligna, vti Curæo videtur extinctus viuendi finem fecit a.d. V. Decembr. A.C. cIↃ.CCXLXVI. relictis *Henrico IV.* filio & *Hedvvigi* filia impuberibus: quorum tutelam *Vladislaus* patruus Archiepiscopus Salisburgensis paucis annis, quibus superfuit, gessit. Fama manet Principem per ætatem reipubl. capessendæ imparem curatores aliquot habuisse ex præcipuis ciuibus qui & bene gubernarint ditionem, & Principi ingētem pecuniæ vim collegerint. Qui quidem vbi in tutelam suam venit, & principatus per se administrationem suscepit, vrbis gubernationem totam ciuibus cōmisit, & adfecta à patre potius quam perfecta vrbis mœnia absoluit, anno Christiano cIↃ. CCLXX. tali edicto publice proposito. *Ad totius terræ vtilitatem, profectum, commodum, & honorem volumus, & ex maturo proborum consilio statuimus, vt omnes, qui intra muros Vratislauiæ domos vel curias siue alias possessiones habeant, cuiuscunque conditionis existant, siue sint milites siue Canonici siue Regulares omnes vniuersaliter iuxta taxationem Aduocati & scabinorum ciuitatis eiusdem collectam ad muros intra fossata ibidem erigendos, omni occasione post posita integraliter persoluant: scientes pro certo, quod nullum ex iis ab hac solutione liberum volumus permanere.* Idem Rempub. Vratislauiensem amplissimis ornans priuilegiis id se facere testatur *habito super eo maturo & sano consilio suorum Baronum per aliquot dies, considerantem & animaduertentem, ipsorum vtilitatē, incrementū, & profectū in omnib. fore suum suorumq; pariter successorū.*

His enim propemodum verbis Princeps optimus, cui cõmuni elogio Probi cognomẽ postea tributum, vtitur: quibus lectorem defraudandum non putaui. Vxor illi fuit *Mechtildis* Ottonis Longi Marchionis Brandenburgici & regni Boiemię tunc Gubernatoris filia: cum qua concorditer quidem, sed fructus matrimonii, id est, liberorum exsors vixit. Itaque cum sine filiis moriturum se prouideret, Vratislauiam ipsam cum omni territorio Ecclesię & Episcopo Vratislauiensi obtulit. Quam cum ille donationem, Principum odia veritus, refutasset: *Henricus* testamento condito heredem sibi in ducatu Vratislauiensi *Conradum* patruum Glogouię Ducem destinauit, *Primislao* autem Posnanienſi Cracouiensem & Sendomirienſem in Polonia ditionem legauit. Ita Polonici scriptores & nostri annales. At Ioannes Dubrauius hist. Boiem. lib. 18. auctor est, *Ottocarum* Boiemię Regem cum *Henrico* sterili ad hunc modum trãsegisse, vt si prior is decederet, ipse ei in bonis succederet. Sin aliter caderet, vt *Ottocarus* Glacense præterea territorium *Henrico*, quoad superstes esset, fruendum adderet, deinde *Wenceslaus* Ottocari F. vt insolidum heres omnium bonorum fieret. At *Henricum* male in *Wenceslaum* animatum, vt Vratislauia eum fraudaret, se suâq; sub imperium *Rudolphi* Cęsaris subiecisse, apud quem tamen plus causſa *VVenceslai* quam fraus *Henrici* valuerit. Hęc Dubrauius: quę non vana omnino esse vetustorum diplomatum, quæ in Archiuo Carbsteinensi exstant, fide liquet. Vt vt autem sit, illud certũ, Henrici siue ex veneno submini strato siue ex lenta tabe (nam hîc quoq; duplex fama est) A. C. cIↃ. CCXC. a. d. XXII. Aug. mortui hæreditatem non *Wenceslaum* Boiemum creuisse, sed HENRICVM V. Ventricosum Lignicensium Principem defuncti patruelem, à Vratislauiensibus *Conradum*, vt hominem turbulentum & rixosum repudiantibus, accitum: qui cum vrbe arceque ac dominatu denique omni, ciuium & procerum ac nobilium fauore, facile potiretur, *Conradus* per fugam

fugam elapsus fremens domum rediit. Quam quidem Vratislauiensium erga se fidem *Henricus* ipse in diplomate quodam, quo anteceſſorum suorum priuilegia Vratislauiensib. indulta atq; illud præcipuè. *Vt nullas cameras mercatorum, nullos cramos, nullos pistores, nullos sutores, nullos carnifices, nullas tabernas, nullos mechanicos infra vnius spatium milliaris in præiudicium Vratislauiensis ciuitatis constituere liceret*, his verbis testatam posteris reliquit. *Humana gesta simul transeunt cum tempore, nisi scriptis & testibus perennẽtur. Hinc est, quod Nos Henricus, Dei gratia Dux Sleſiæ & Dominus Vratislauiæ & Legnic. tam præsentibus quam futuris volumus esse notum, quod post solum DEVM per fideles & chariſſimos ciues nostros Vratislauienses pariter & per terrigenas Vratislauienses sumus ducatum & dominium consecuti. Vnde dignum fore dignoscitur, vt beneficia beneficiis recompensemus &c.* Neque tamen quieta diu ea illi dominatus possessio fuit: quippe qui à *Conrado* patruo per insidias in balneo flumentaneo haud longe ab arce Vratislauiensi captus, atq; in tetrum carcerem coniectus nonnisi triginta millium aureorum siue marcarum λύτρῳ persoluto, & cessione insuper Namslauiensis, Bernstadiensis, Olsnensis, Cruciburgensis, Bicinensis, Constadiensis, Rosenbergensis, Hanouiensis, & Boleslauiensis territoriorũ libertatem reciperare potuit: neque ità multò post morbo in carcere patrui contracto rebus humanis ereptus est IIX. Kal. Martii A. C. cIↃ. CCXCVI. eo maius sui desiderium Vratislauiensibus relinquẽs, quod Henrici, Boleslai, & Vladislai filiorum ætatem, ne ea imperio nõdum matura rebus nouandis locũ præberet, verebantur. Dederat pater iis tutorem *Boleslaum* fratrem Svvidnicensiũ Ducem, sed qui tutelam impuberum agnatorum non prius suscipere voluit, quam arx Zottenberga sibi data esset: cæterũ pupillis præclare præfuit. Eo defuncto *Henricus de VVirbna* Episcopus Vratislauiensis Principibus tutor datus: qui cum luxuriæ se totum mancipasset, & suorum ipsius redituũ, & thesauri, quem Boleslaus ad sexaginta millia marcarum pupillis

suis

ſuis collegerat, decoctor: à Ducibus pubertatis annos egreſſis multis poſtea incommodis affectus fuit. Facta autem inter illos hereditatis paternæ diuiſione HENRICO VI. Ducatus Vratislauienſis obuenit: qui à fratre *Boleslao* bello oppreſſus ſe principatumq; *Vladislai Loctici* Poloniæ Regis fidei commiſit: quem poſtea ab ipſo receptum, blanditiis, libertate, & ingentibus promiſſis inductus vniuerſum IOANNI Boiemiæ Regi ceſſit, eundemq; ab illo vna cum Glocenſi ditione, quoad viueret, vtendum fruendum, fidem pactus, recepit: adiuuantibus eam rem cum Henrici ipſius conſiliariis, tum ciuibus maxime Vladiſlauienſibus: qui Principem ſuum, vt Boiemo ſe ſubiiceret, enixe hortabantur, non ſolum quod Germanus is eſſet, verum etiam quod natus patre Cæſare Henrico, eoque viro valde laudato, & talia ipſe virtutis ſuæ daret documenta, vt videretur futurus vtilis Princeps & protector Sileſiæ multimodis afflictæ. Sic enim Curæus noſter ſcriptum reliquit: etſi corruptos pecunia fuiſſe Cromerus narret. Sed haud ſcio, an fidem illi arbitrari auſim: & prægrauat hac quidem in re Curæi apud me auctoritas.

Fuiſſe id anno cIↃ.CCCCXXVII. ex diplomate ſuper ea re confecto ad paret. Nec ita multo poſt *Ioannes* nõ modo Hainouienſe & Goldbergenſe territoria, quæ Vratislauienſes hypothecæ nomine à Boleslao duce poſſidebant, redemit, ſed & ad reliquos Sileſiæ Principes animum adiecit: è quibus iſto ipſo anno *Boleslaum* Oppolienſem, *Vladislaum* Coslenſem, *Caſimirum* Teſchnenſem, *Ioannem* Oſuencimenſem Duces, anno autem cIↃ.CCCXXXI. *Ioannem* Glogouienſem, *Boleslaũ* Lignicenſem cum filiis *Wenceslao* & *Ludovico* fidem *Ioanni* dediſſe, & ſe ſuaq; in clientelam illius ſolemni more tradidiſſe annales teſtantur.

Hoc ergo, quo dixi, modo cum ſine maſculi ſexus liberis A. C. cIↃ.CCCXXXVI. *Henricus* deceſſiſſet ad IOANNEM (qui cum paulo poſt Vratislauiam veniſſet, magna ordinum lætitia

cia in ipſius verba iuratum eſt) & ſucceſſores Boiemiæ Reges deuoluta Vratislauia, mirandum in modum exinde auctoritate, opibus & potentia augeri, atq; in eum, qui ſe nunc oculis offert, ſplendorem atq; magnificentiam prouehi cœpit. Ac Ioannes quidem non modò gratias, immunitates & priuilegia omnia à Ducibus Sileſię vrbi conceſſa firma rataq; habenda decreuit, ſed & nouis augenda cenſuit. Cumq; à collecta & contributione publica, quæ *Berna* vocabatur (fortaſſe quod in ſingula capita vnam bernam h.e. ſolidum vel denarium veterem Germanorum exigeret) liberos atq; immunes Vratislauienſes pronunciaſſet: ius Polonicum, quod *Crauda* dicebatur, cuiusq; in nonnullis Sileſiæ locis etiamnum vſus, penitus ſuſtuliſſet: ius Magdeburgenſe, quo nepoti vel nepti in aui auiæue bona, quamdiu illis ſuperſtites adhuc filii filiæue eſſent, ſucceſſio non dabatur, tanquam erroneum ius & deuium cõſuetudinem correxiſſet, multaq; id genus alia ipſis indulſiſſet: quatuor profecto cõſtituit meo iudicio maxime memorabilia

I. Vt ciuitas ciueſq; Vratislauienſes nec non vniuerſi ditionis eiuſdem incolæ ab omnibus teloniis & vectigalibus tota Boiemia aliisq; ei connexis prouinciis immunes haberentur.

II. Ne Vratislauienſis ciuitas eiusque territorium ab regni Boiemiæ vnione vllis vnquam temporibus auelleretur, aut quocunq; titulo abalienaretur: neuè præfecto cuiquam ſub annua penſione locaretur.

III. Ne præfectura Vratislauienſis alii quam indigenæ committeretur.

IV. Denique quidquid deinceps terrarum Polonis adimi contingeret, id omne ditioni Vratislauienſi ſempiterno iure coniungeretur. Neq; verò ſilentio omittere debeo, cum anno 1342. 7. Sept. & biennio poſt iterum vrbs tota conflagraſſet, regiâ liberalitate ad eam formam, quæ nunc exſtat & ob quam præ cæteris Germaniæ vrbibus celebris eſt, ordine ſingulari plateis diſpoſitis conſtitutam fuiſſe & ædificatam.

Vixit autem Ioan. ad annũ vſq; Chriſti CIↃ. CCCXLVI. quo Philippo Francorum regi affini ſuo ſuppetias contra Anglos ferens, etſi oculis captus, in Creſciacenſi prælio a. d. XXVII. Auguſt. qui dies D. Ruffo ſacer, Boiemis ob id nefaſtus, quod duos reges hoſtili gladio abſtulerit, occubuit. De cuius bellica virtute Petrarcha lib. 2. de remediis fortunæ, *Ioannes Boiemus*, inquit, *duorum ſine medio Romanorum Principum alterius filius, alterius pater, oculis ſemper infirmus multos ad extremũ annos cæcus, bello hoc, quod inter Gallum cui ille fauit, ac Britannum Regem ſex iam luſtris agitur, dum pugna illa omnium aſperrima, cui ambo reges intererant, inclinare fortunam intelligeret, duces ſuos clara voce compellans, Dirigite me, inquit, ocyus in eam partem, vbi Rex hoſtium eſt, atque omne robur exercitus ſui. Quod cum mœſti ac trepidi feciſſent, ille equo ſtimulis adacto eò ſe præcipitem dedit, quo ſpectare alii cæcumque oculis proſequi vix audebant: vbi cum fortiſſima hoſtium acie non fortiter modò ſed horrificè pugnans ruit, ipſis mirantibus & laudantibus, qui vincebant. Rem narro notam omnibus, ſed niſi mandata ſit literis, obliuione perituram: & quid oro gloriæ viri fortis obfuit viſu caruiſſe, niſi vt quẽ virtus & natura mirabilem fecerunt, ſtupendum cæcitas faceret?* Hactenus Petrarcha.

Ioanni ad gubernacula CAROLVS filius ſucceſſit huius nominis Quartus Imperat. Romanorum Princeps cum vniuerſo Boiemiæ ſuæ regno, tum in primis Sileſiæ ſalutaris & prudentiæ laudem vel ex eo meritus, quod de ſtatu Reip. deliberans quietem & robur eius vel maxime in vrbium felicitate conſtare cenſuerit. Vratislauiam equidem, quam A. C. CIↃ. CCCXLVIII. a. d. VII. Nov. regia pompa ingreſſus eſt, aduſq; delicias videtur adamaſſe: monſtrantur que literę Caroli ipſius manu ad ſenatum Vratislauienſem ſcriptæ, quibus nunciari ſibi petit, ecquid adhuc valeant, ſeq; valdè de iis ſollicitum eſſe teſtatur. Cum autem multa eius in hanc vrbem beneficia extiterint: tum vero inter eximia hæc numero, quod cum ciuitatem opibus viriſque florere ac multitudine indies augeri videret,

videret, pomerium eius dilatauit produxitq;, ac ripa vlteriore Olauæ fluuii vrbi adiecta vaſtum hũc ambitũ, quem videmus incluſit: quod inſigni & ſumptuoſo *D. Dorotheæ* templo eandem exornauit: quod præclaram de ampliſſimi ordinis Senatorii prudentia opinionem habens, totius ducatus Vratislauienſis præfecturam illi commendauit: qua licet poſtea aliquoties ſe abdicarit, tandẽ tñ recuperauit, & iam vltra ſeculũ ſine vlla interruptione cõtinuauit: deniq; quod eidem ius cudẽdę oẽ genus monetæ, q; ſupremi imperii ſummum ſemper fuit indicium indulſit. Reperio etiã *Carol. Imp.* ordinis Eccleſiaſtici inſolentia adductũ vetuiſſe, ne cui clerico ædes vel cenſus abſq; permiſſu conſenſuq; Regis Boiemiæ expreſſo emere Vratislauiæ liceret. Cuiuſmodi quidẽ prohibitiones in aliis etiam Germaniæ, Italiæ, Galliæ locis factæ, & in hac ipſa vrbe à *Vladislao* Rege renouatæ, dici nõ poteſt, quam ingentes & odii atq; inuidiæ plenas diſputationes pepererint: cum nõ obſcurè libertas ſacri ordinis, & Cæſarũ atq; Pontificũ reſcripta oppugnari & violari hoc modo videantur. Et ſanè, quę exorta ante paucos annos inter Pontif. Roman. & Venetos controuerſia, non aliã cauſam habuit. Neq; videntur tñ hęc prohibitiones carere ratione: cum Reip. interſit, ne ſubditorum bona in Eccleſiaſticos ac Monachos qui rerũ omnium immunes eſſe volunt deuoluta in id redigãtur, vt nullũ Principi aut Reip. commodũ prę ſtare, neq; exigente rerũ neceſſitate publicis functionib. grauari poſſint: neue in arctũ hoc modo redactis ciuiũ numero cenſuq;, familiarũ inſuper dignitas, q̃ ex patrimonii quoq; amplitudine ęſtimatur, & Carolo noſtro p̃cipue haut dubie curæ fuit, vt eſſe Principib. omnib. debet, eâ ratione diminuatur. Neq; dubitandũ, quin Eccleſiaſtici ordinis in coẽmẽdis prædiis & iurisdictionis ſuæ finib. proferẽdis & amplificãdis inſatiabilis cupiditas eiuſmodi edictis occaſionẽ dederit, quã viri Principes & Reſp. æquo animo diutius ferre nõ potuerũt, ne non cenſu modo ſed & imperio ac iurisdictiõe diminuta eiusdẽ ordinis poteſtati obnoxii redderẽtur

Inter viuos esse desiit laudatissimus Imp. III Kal. Decembr ann. cIↃ.CCCLXXIIX. succesſorē nactus WENCESLAVM fil. Romanor. & Boiemiæ Regem Principem nō illū quidem à naturâ prorsus inertē aut stolidum, sed qui indulgens cupiditatib. immodice, luxuriæ potissimum, libidinū & iracūdiæ, quibus vitiis omnia naturæ in illo bona obruebātur, incredibili inertiâ & socordiâ nō modo remp. pene pessundedit, sed & æternas sibi infamiæ notas inussit. Exceperunt huius imperium grauissimę inter Senatū & plebem Vratisl. concertationes, quæ non parū illi exhibuerunt negocii. Apoplexia repētè suffocatus interiit XVII. Kal. Octob. an. cIↃ.CCCCXIX. cui in Boiemiæ regno subrogatus rerū tenuit in his locis gubernacula SIGISMVNDVS frater Romanor. Imp idemq; Rex Hungariæ a.d. VI. Ian. anni seq. Vratislauiā ingressus, vbi post subiectionis iuramentum sibi præstitum de seditiosis ciuibus supplicium sumsit: neq; solum vetera vrbis priuilegia à furente plebe pleraq; discerpta renouatis diplomatib. integrauit, verū noua etiā largitus est amplissima. Idq; eum nō frustra feciſſe vel inde liquet, quod ipsemet Vratislauiam *alteram sedē & caput regni* nuncupat, *& exemplum virtutū, quod aliæ omnes intueantur*, prædicat. Apponam ipsius Imperat. verba, ne sententiæ eius præuaricatus videar. *Vratislauiensem, inquit, ciuitatem nostrā, quæ velut altera sedes & caput eiusdē regni est: fonsq; legalitatis irrigiuus affluentia prælarga deriuans in alias: sine qua etiam huiusmodi ciuitates velut acephalæ forent: Cuiusq; cætus ciuium tanquam regulæ morum exemplar & speculū mortalitatis humanæ vitæ, iubarq; splendidum inter alias quaslibet ciuitates eminet*, &c. Vt ob id Sigismundo etiam Imperatori non parum Vratislauia debeat. Eius porro temporibus (vt hoc obiter & παρέργως addere liceat) inter Vratislauiēses & ordinem Ecclesiasticū grauis controuersia exorta propter annuos reditus: quos soluere nonnulli, quod dicerent contractū esse vsurarium & prohibitum, detrectabant. Eā cōtrouersiâ ad Martin. V. P. R. delata cōtractum licitum Pont. pronunciauit constitutione, quæ extat in extravag. c. 1. empt. & vend. edita: in cuius ἐπιγραφῇ pro *Almicensi* legendum *Olomucensi*, in ipso autem contextu διτίτῃ *nummi Polomæi numeri Polonici*: quomodo sæpiuscule in vett. Silesiæ instrumentis Marckē Böhmischer groschen Polnischer Zahl / ad differentiam nimirū marcarum Silesiarum, quæ 32. & Polonicarū quæ octo & quadraginta grossis æstimabantur. Quod si non ignorasset magnus ille Marq. Freherus, haudquaquam rescribendum pronunciasset, nummi Empolæi, id est, forensis & consueti.

Mortalitatem expleuit optimus & literatorum inprimis amantissimus Imp. Znoimæ Morauiæ opido VI. Eid. Decemb. A.C. cIↃ.CCCCXXXVII. iam septuagenarius, filiam relinquens vnicam Elisabetham coniunctam. ALBERTO Archiduci Austriæ Rudolphi I. Imp. qui supremum istud honoris & gloriæ fastigium domui suæ princeps intulit, & gentem sceptris regnisq; fatalem propagauit, atnepoti: qui anno sequenti Cal. Ian. Hungarię rex proclamatus, paulo post à Septemuiris Electoribus Cæsaris quoq; dignitatem, & insignia Aquis-grani accepit, istoq; ipso anno Boiemiæ insuper regni diadema, quanquam non sine armis, obtinuit. Vratislauiam venit. a. d. XIIX. Nov. vbi cum principio anni sequētis statum Reipub. correxisset, non ita multo post è gradu forte prolapsus crus fregit: quod tum nonnulli futuræ ruinæ præsagium & omen sunt interpretati. Digressus inde die S. Stanislai, ad bellum sese Turcicum contulit, reuertensq; ex Hungariâ & Viennam versus iter instituens, dum feruentis Augusti calorem peponibus sedare elaborat, in dysenteriam incidit, cumq; de vię laboribus nihil remitteret, haud procul Posonio in pago quodam ignobili, qui Lōgus dicitur. v I. Cal. Nov. extinctus est, *Elisabetha*, coniuge grauida relicta & duabus ex ea filiab. Princeps omnibus virtutibus heroicis pręstans: cuius eo acerbior mors visa, quod in ipso ętatis flore, quum summa de virtutib. eius esset expectatio, repente decessit: nō parum eius desiderium

rium augent augente regnorum herede incerto, reputantibus cunctis quantum malorum subditis perferendum competitoribus inter se dimicantibus. Peperit autem Elisabetha ann. CIↃ CCCC XL. octau. Cal. Mart. filium posthumum Ladislaum: cui cum Boiemiæ regnum tanquam legitimo heredi post longas licet concertationes decretum, is vero per ætatem rebus gerendis minime idoneus esset, regni interea, dum adolesceret & gubernaculis sufficeret, Gubernatores constituti *Magnardus à Noua Domo, & Ptasco*: quo per mortem sublato *Magnardus* solus rerum in Boiemia potiri cœpit, sed cui ab Hussitis oppositus *Georgius Baro à Cunstadt & Podiebradt* Ecclesiarum Hussiticarum fautor & patronus, neque minus rei militaris peritia rebusque strenue gestis insignis. In Silesia ad neminem vnum summa imperii rediit: sed separatim suas singuli ditiones ad arbitrium suum administrarunt. Educauit autē *Ladislaū Fridericus Impe.* agnatus, neque è sua illum tutela, vrgētibus licet cum Hungaris (qui & ipsi Vladislao Polono, quem de reginæ grauidæ partu incerti accersiuerant, miserabiliter ad Varnam cæso, Ladislaum quinque annorum puerum regem elegerant) tum Boiemis, Silesiis atque Austriacis, dimittere noluit, nisi postquam eo vsque adoleuisset, vt ætas capessendo regno esset idonea. Regni curam cum suscepisset adolescens, Vratislauiam venit anno CIↃ CCCCLIV. a.d. VI. Decembr. qui D. Nicolao sacer: cumq; in eius verba iuratum esset, præfectum vrbi *Henricum Rosenbergium* dedit *Iodoci* Episcopi fratrem. Die natali Christi accidit, quod ab Ænea Syluio Boem. cap. 62. in literas relatum inuenimus. *Ladislaus Rex Vratislauiam, inquit, nobilem vrbem & Silesiæ caput inuisit: ibi cum sacris interesset in æde Pontificali, frequentesque Principes conueniissent, & Podiebracius Regi proximus astaret, fama est, Chilianum quendam parasitum, ex his qui stultitiam simulantes alios stultos faciunt, Podiebracium his verbis compellasse: Quo vultu sacra nostra respicias, plane aduerto: animum non intueor. Fare, obsecro, nonne satis nitida tibi videtur nostra reli-*

religio? videsne quā multi & magni Principes & ipse Rex noster vnū ritū sequantur? Cur non his potius quam Rochesanæ Hussitico cōsentis? an plus sapere paucos Boëmos censes, quā reliquā Christi Ecclesiam? Quin relictâ inconditâ plebe nobilitati te iungas. At Podiebracius: si tua hæc sunt verba, inquit, non es, quem simulas, & tibi tanquā prudenti respōdeo: sin aliena sunt verba, satisfacere me illis oportet, qui te submiserunt. Audi ergo. Ecclesiasticas ceremonias suâ quisq; pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quæ credimus Deo grata. Neq; nostri arbitrii est, credere quid velimus. Victa magnis rationib. mens humana, volens nolensq; capitur: vtq; natura instituta est, altera facile trahitur, altera elabitur. Mihi persuasa est meorum sacerdotum religio. Si tuam sequar, homines fortasse fallam, animæ meæ contrarius: Deum, qui corda inspicit, nequeo fallere. Neq; me tui similem esse decet. Aliud histrioni, aliud vero nobili conuenit. Hæc vel tibi habeto, si sapis, vel his referto, qui te submisere. Digressus Vratisuia *Ladislaus* prid. Kal. Febr. ann. cIↃ. CCCCLV. biennio post oratores in Galliā cum splendidissimo comitatu à *Carolo* VII. Francorum Rege Magdalenæ filiæ nuptias petitum misit: sed quibus haud dum reuersis, dum pactam sibi ac sponsam operitur, IX. Kalendar. Decembr. duodevicesimo ætatis anno inopine defunctus non sine maximo subditorum mœrore planctuque pro thalamo tumulum accepit. *O imbecillem* (liceat hic cum Syluio exclamare) *humanæ naturæ conditionem! O inanem mortalium gloriam! O cæcas hominum mentes! Quid iactamur? Quid extollimur? Quid est, quod dignitates, opes, potentiam tantopere flagitamus? Perpetuo his frui cui datum? Ladislaus nobilissimus adolescens, duo de viginti natus annos, in ipso ætatis flore, in ipso gloriæ culmine, tot regnis, tot gentibus imperans, tot deliciis atque opibus affluens, inter tot auxiliantium manus, intra sex & triginta horas postquam ægrotare cœpit extinctus est.*

Post Ladislai excessum, complures Principum potentissimorum Boiemiæ regnum, suis quisque titulis competebant. *Casimirus* Rex Poloniæ & *Guilielmus* Dux Saxoniæ ab vxoribus vtrique

vtriq; enim Ladislai sorores nuptæ. *Sigismundus & Albertus* Austriaci ex vetusto fœdere & conuentione inter Boiemiæ Reges & Austriæ Principes initas. *Fridericus* Imp. ob non petitam iusto tempore inuestituram feudum apertum contendens. Galliæ deniq; Rex *Carolus* magnificis promissis regnũ ambiẽs. Sed quibus omnibus posthabitis Boiemi è suâ nobilitate *Georgium Podiebradium* Baronem ex antiqua Constadiorum gente, qui Regni Gubernator fuerat, magnæ auctoritatis virum ad sceptri sublimitatem euehunt, Boiemiæque Regem anno clɔ. CCCC. LIIX. Non. Martij salutant, Nonis Maij ab Episcopis Hungaris *Augustino Iaurinensi & Vincentio Vacensi* solemnibus ceremoniis peractis Pragæ inauguratum. At enimuero Silesia pene vniuersa hanc Georgii electionem ægerrime tulit: ob idque fœdus contra ipsum a. d. XX. Martii Lignici factum: Posteaque Vratislauiæ a. d. XIX. Aprilis renouatum, frustra Georgii legatis, vt in eius verba iurarent, postulantibus. Tametsi vero & *Calixtus* P. R. *Fridericus Imperat.* Georgio reconciliati Regem eum agnoscerent: Principes etiam imperij, qui à Boiemiæ regno feuda recognoscunt, homagium, quod vocant siue hominium ipsi facerent: *Lusatia* præterea & Morauia paucis exceptis eum reciperẽt: *Iodocus* insuper Episcopus Vratislauien. glíscens incẽdium veritus interq; initia restinguendum ratus, vt idem Silesia faceret, tranquillitatis publicæ causa suaderet: nec denique alieni essent à studio pacis præcipuorum Silesiæ principum animi: Vratislauiensis tamen ciuitas, quod edicta Pontificia per fraudem extorta crederet, pertinacissime Georgio aduersata, bellum quam imperiũ ipsius pati maluit: instigata præsertim à *Pio II.* P. R. qui *Æneas Syluius* prius dictus *Calixto* per id tempus successerat, & Vratislauienses atque Namslauienses palam in suam tutelam & protectionem suscipiens ab fidei sacramento regi debito eos absoluit, & ne quis contra illos arma cum hæreticis ferret, quinimò eis tanquam Catholicis & sanctæ matri Romanæ Ecclesiæ obedientissimis omni consilio, fauore ac potentia assisteret, edixit, diplomatis publicatione Cretensi ad regnum Poloniæ terramq; Silesiæ ac Prussiæ nuncio & oratori sedis Apostolicæ, & Gnesnensi Archiepiscopis per literas iniuncta: quarum exemplum inter Syluij epistolas videre est. Secuta est non multò pòst *Pauli* II. P. R. solemnis detestatio: quâ Georgio hæreseos & perfidiæ in Ecclesiam Romanam damnato & à communione Christiana separato regium honorem ac dignitatem abrogauit, subditos sacramento soluit, & ad *Matthiam* Pannoniæ regem titulum Regis Boiemiæ transtulit. Ad cuius ob id fidem & imperium non Vratislauienses modò, sed plerique; Principum atque alij, qui Georgio prius adhæserant, paulatim sese applicuerunt. Cumq; *Matthias* Anno Chr. clɔ ɔɔɔɔ LXIX. à quibusdam Boiemiæ ordinibus Rex proclamatus, & in Morauiæ oppido Brunna insigni coronæ non quidem Regiæ, sed detractæ de effigie fortè præsente S. MARIÆ Virginis ornatus esset: in Silesiam nulla interposita mora iter suscepit, Vratislauiam a. d. XXVI. Maij in medio duorum sedis Apostolicæ legatorum Laurentij Ferrariensis, & Rudolphi Vratislauiensis Episcoporum ingressus, cum equitatu quinque millium, in quo magni nominis Principes. Deductus est à nobilitate, & populo ad pontem vsque Viadri, vbi ab Episcopo & Collegij sodalibus salutatus est. Cumq; equo descendisset, reliquias sanctorum à sacerdote oblatas de more deosculatus tandem in D. Ioannis templum intrauit: peractisq; illîc sacris cantionibus, in palatium inde regium concessit. Kalendis Iunij Vratislauiensis ciuitas omnium prima (quod meritis ipsius erga regem & constantiæ datum fuit) in verba Matthiæ iurauit, quam deinde secuti Principes & alij ordines cum Silesiæ tum Lusatiæ, *Conrado Nigro Olsnicensi* & *Ioanne Pribusiensi* exceptis, qui etiamnum Georgij partes sectabantur. Immunitates & priuilegia ab *Alberto* inprimis & *Ladislao* concessa Vratislauiensibus benignè *Matthias*

thias confirmauit: præfectumq; ipsis dedit *Stenconem Baronem Sternbergensem*, subpræfectum *Ioannem de Heide*, senatu vrbis vltrò præfecturam cedente, sed quàm paulò pòst recuperauit. Die quinto Iulij Vratislauia digressus in Morauiam remigrauit.

Tam constanter autem in fide atque obsequio *Matthiæ* Vratislauienses perseuerarunt, vt *Georgio* etiam rebus humanis exempto nouum, illi Sacramentum dixerint, neque vt *Vladislaum* Polonorum Casimiri regis filium, licet is à maiori Boiemorum parte Rex electus esset, & de manu Cæsaris vexilla regni Prouinciarumq; ad regnum pertinentium solemni ceremonia recepisset, quamdiu in viuis esset *Matthias* agnoscerent, vllis rationibus adduci potuerint. Quæ tamen Vratislauiensium erga *Matthiam*, fides efficere non potuit, quin is ad extremum *Georgij Stenij*, vt probabile est, & aliorum criminationibus sinistrè persuasus infensior Vratislauiensibus fieret: quos vbi aduenisset (iter quippe in Silesiam parabat, iamq; præmisso *Ioanne Varadiensi Episcopo*, vt diætam prouincialibus indiceret, Vratislauiensibus, ne ante aduentum suum magistratum vrbanum immutarēt, denunciauerat) malè multaturus fuisse credebatur. Quæ res non immeritò multum illos sollicitos habuit. Sed secuta paulò post *Matthiæ* mors (quam apoplexia correptus, suæ quidem ætatis regum potentissimus ac fortissimus, obijt Viennæ a. d. VI. Aprilis anni CIↃ CCCC XC.) & metu & periculo Vratislauienses liberauit. Cumq; *Henricus Dominicus* vrbis & Ducatus Vratisl. præfectus vir magnæ alioqui dignitatis cum Stenio ad opprimendam patriæ libertatem collusisse diceretur, Senatus iussu comprehensus, & in vincula coniectus fuit: ex quibus causam dicere iussus, cum de obiectis criminibus se purgare vsquequaque non posset, gladio in foro percussus est.

Nec ita multò post Vratislauia cum reliqua Silesia in VLADISLAI Regis, cui ex pacto debebatur successio, potestatem venit: qui quidem pacis & religionis studijs quàm belli artibus clarior

clarior ad annum vsque superioris seculi XVI. rerum tenuit gubernacula. Sub eo autem florentissimas fuisse in hac vrbe mercaturas ac negotiationes per totam ferè Europam patentes atque diffusas, earumq; beneficio Vratislauiam ad summas opes summamq; efflоruisse magnitudinem annales testantur. Quippe cum haberet illo tempore ius emporij, mercesq; sistendi ac stabulandi priuilegium, quod *Vladislaus* Rex anno CIↃ IↃ XI. cum Vratislauiam adducto secum filio Ludouico quinquenni venisset, renouauit: puta ne quis Polonus aut Germanus negociandi causa Vratislauiam præteriret, sed vtraque gens Vratislauiæ merces suas deponere ac venundare cogeretur. Verùm cum *Sigismundus* Poloniæ rex S C^to^ suis cum Vratislauiensibus commercia prohiberet, nec Vratislauiensibus in Polonia negotiandi potestatem faceret: quadriennio post in celebri illo *Maximiliani* I. Imp. & Hungariæ, Poloniæ, Boiemiæq; Regum conuentu Viennæ habito, in quo tractatis hinc inde matrimonijs ad acquirēda amplissima Hungariæ & Boiemiæ regna Imperator viam nepotibus suis strauit, abolitis emporij Vratislauiensis priuilegijs in pristinum statum commercia illarum gentium restituta sunt.

Fatis functo Vladislao LVDOVICVS filius successit: qui cum viuente patre bimulus Rex Hungariæ coronatus esset (in cuius rei memoriam etiam multis post annis defuncto iam tunc Ludouico numi aurei cusi, in quorum anticâ parte regis pueri coronati & culcitræ insidētis effigies visitur cum inscriptione circulo additâ: LVDOVICVS FILIVS R. VNGAR. ET BOHEM. 1508. in postica hoc distichon legitur:

Buda potens, & Pannonij gens Martia regni
Quod fuit, esset, si viueret iste puer)

anno sequenti, qui fuit A. C. CIↃ IↃ IX. Boiemiæ quoque regni diadema Pragæ suscepit: Vratislauiam à patre adductus A. C. CIↃ IↃ XI. mense Ianuario, vt fides atque obedientia illi à Principibus & ordinibus Silesiæ præstaretur. Verùm cum regni Hun-

gariæ Senatores iusiurandum Ludouico, tanquam Hungariæ Regi, Boiemi contrà suo regno, cuius membrum antiquitus Silesia fuisset, dandum esse contenderent, neutri tum quidem Silesij iurarunt: Regis Vladislai & filij Ludouici imperio nihilominus se obtemperaturos, saluis priuilegijs, testati. Incidit in huius gubernationem eorum, quæ in religionem perperam inuecta erant, reformatio: in quam Senatus Vratisl. magno studio & animo incubuit, sinceramque Euangelij doctrinam ac ritus puriores *Ambr. Moibani*, & *Ioan. Hessi* Theologorum clarissimorum operâ eam ad rem vsus in Ecclesias introduxit. Idemq; in alijs quoque Silesiæ locis, etsi inter magnas difficultates, annis continuò subsequentibus factum. Vixit autem *Ludouicus* ad annum vsque CIↃ IↃ XXVI. quo cum Solimannus Turcarum Imp. Christianis inter se digladiantibus, cum potentissimo exercitu in Pannoniam descendisset, ingenti prælio ad Mohaczium die XXIX. Sextilis, qui Ioannis Baptistæ decollationis memoriæ dicatus, commisso prostratisque vndique Christianorum copijs, infelix iuuenis prælio semet eripiens in paludes incidit: & dum enititur, equo super eum corruente, obtritus aut suffocatus interijt, cum vigesimumprimum ætatis annum ageret: à *Georgio Logo*, viro illo vt genere nobili, ita doctrinâ minimè vulgari, huiusmodi Epitaphium meritus:

Crudele ah nimium, nimium, Rex magne, luisti
Supplicium, ante diem quod peperêre deæ:
Immitisq; tibi & nimium Mars sæuus in armis.
Fauit enim diris hostibus ille nimis.
Excussum quadrupes te namq; palustribus vndis
Heus ferus inuoluit, in tua fata ruens.
Aeternum at iuuenem Ludouicum hæc fama manebit:
Pro patriâ in patriâ non timuisse mori.

Spectator necis Ludouici fuit *Cetericius* quidam Silesius regius cubicularius: qui cum ante regem in vlteriorem ripam euasisset, nec domino suo opem ferre posset, locum notauit: ex cuius deinde

deinde indicio corpus Regis repertum, & in Alba Regali terræ mandatum fuit. *Dubrauius* in hoc Rege triâ peculiaria adnotata fuisse scribit, cuncta nimis præcocia atque infelicis ominis loco habita: quòd citò adoleuerit: ante tempus barbam emiserit; & vix annum decimumoctauum ingressus canos ostenderit.

Quibus non immeritò præcox eius natiuitas addi potest: nullam quippe partem corporis cute integente in lucem editi, quam nato iam medici vnguentis & emplastris induxerunt. Neque hoc loco silentio prætermittendum, quod non multò ante *Ludouici* interitum accidisse *Ioan. Leonclauius* in Pand. hist. Turc. & ex eo *Iust. Lipsius* in monit. & exempl. politicis memoriæ prodiderunt. Prandebat Rex in arce Budæ (miserè autem illum victitasse defraudatum & contemptum habitum à proceribus Hungaris regio interim luxu diffluentibus de αὐτοψίᾳ sua *Herberstainus* Baro testatur, foribus tunc regiæ de more clausis. Astat ad portam quispiam, humanâ specie, sed claudus, distortus, & habitu cetero, cultúque fœdo: qui acri & stridulâ voce clamat, poscitque colloquium Regis. Negligitur, & putabant mendicabulum hominis: cùm magis magisque inclamat, & opus conuento rege, nec alio, esse. Re ad Regem delata, mittit è splendidioribus aulicis, iussum nomen & personam suam præferre, & hoc, quidquid esset, elicere. Venit, & appellat claudum de arcano, qui inspecto, abnuit hunc Regem esse: Et quoniam, inquit, audire aspernatur, abi, nuncia breui & certò periturum. Et cum dicto ex oculis adstantium euanuit.

Ceterum cum nullos ex Annâ Austriacâ Ludouicus reliquisset liberos, FERDINANDVS Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, idemq; posteà Romanorum Imperator, ex pactis connubialibus maiorumq; suorum conuentionibus regnorum arq; prouinciarum relictarum hereditatem adijt. Qui quidem, dum sceptra tenuit, ter Vratislauiam inuisit. Primum quidem

obedientiæ ſacramento Principes atq; ordines Sileſiæ ſibi deuincturus, circa Maij initium Anno CIↃ IↃ XXVII. ſolenni pompâ cum Reginâ ingreſſus,& ſingulari magnatum populiq; ſtudio atq; immensâ gratulatione exceptus,pro Principibus atque ordinibus patriæ verba faciente *Iacobo* Epiſcopo, Vratislauienſium autem nomine *Achatio Haunoldo* Præfecto: deinde IV. Cal. Iunij Anno CLↃ IↃ XXXIIX Pontificis & Venetorum legatis comitatus,ſubſtititq; Vratislauiæ ad tertiam vſq; hebdomadem in aulâ,quam vocant. Cæſareâ,Principes & ſtatus prouinciæ de auxliis contra Turcã præſtandis interpellans. Tractatum & de nuptiis inter Eliſabetham Regis filiam, & Sigiſmundum Auguſtum Poloniæ Regem. Tandem anno CIↃ IↃ XLVI. quo ipſo coram Rege grauis & ardua fuit Sileſiis cum Boiemis diſceptatio: qui libertatem huius prouinciæ apertè oppugnabant,in primis verò priuilegium,quod commune adpellatur,à Vladislao Rege Principibus atq; ordinibus conceſſum omnibus modis labefactare conabantur. Cum autem *Ferdinandus* ipſe hac vrbe mirifice delectatus magnis eandem adfecit beneficiis, dignitatem ſenatus ſingularem in modum amplificando, eamq; illi tribuendo, in nobilitatis commendatione primas obtinet: tum ſuæ etiam interceſſione à fratre CAROLO. V. Imperatore glorioſiſſimo impetrauit: vt is non modò priuilegia omnia,quæ ab Imperatoribus,Boiemiæ Regibus, Sileſiæq; ducibus antiquitus habuerunt,propter fidem dominis ſuis præſtitam, propter obſequia, quæ bello & pace in eoſdem contulerunt,Vratislauienſibus confirmaret: ſed & ornatiora ipſis,quibus in hunc diem vtuntur, inſignia (clypeum videlicet quadrifidum binis coloribus aureo rubroq; variegatum, in cuius medio D. Ioannis Baptiſtæ caput à ceruice reuulſum,in prima quadra ſiue areola leo candidus bifurcatæ caudæ corona redimitus, in altera aquila nigra alis expanſis imaginem Lunæ falcatam pectore geſtans, in tertia litera W fundatoris nomen exprimens, in quarta D. Ioannis Euangeliſtæ caput collotenus aureæ

aureæ inſertum coronæ, galeam verò cancellato ore,tegumentis rubri & albi coloris ornatam, & in ea coronæ aureæ impoſitum D. Ioannis Euangeliſtæ caput inter bina vexilla totidem iiſdemq; coloribus diſtincta,& haſtilibus fuluis appenſa)concederet,aliasq; gratias quam plurimas benignè largiretur: quæ in ipſo diplomate maxima cum ciuitatis laude patent, longum autem nimis ſit hoc loco commemorare. Neq; enim vel hiſtoriam integram vel annales huius vrbis texere noſtri nunc eſt propoſiti. Melius & iuſtius hoc aliquis in ea natus præſtiterit: cui quidem latiſſimus patet campus ad benè de patria merendum: quanquam nec alios impedierim, ſi qui fortè in eodem circo currant ad palmam.

Vitam cum morte commutauit Princeps prudentia,iuſticia, liberalitate,manſuetudine,aſſiduitate, vigilantia, tum pietatis & pacis in domo Dei conſtituẽdæ ſtudio nulli ſecundus,die Iulij viceſimo quinto circa veſperam A. C. CIↃ IↃ LXIV. Viennæ, cum LX. annos IX. menſes vixiſſet,& ex Anna coniuge Ludouici ſorore XV. liberos,chara coniugalis amicitiæ pignora, ſuſcepiſſet: in iiſq; MAXIMILIANVM. II. ſuum in auguſta dignitate ſucceſſorem. Qui quidem A.C. CIↃ IↃ LXII. in ipſa patris præſentia inq; illuſtri multorum imperij, vt & Sileſiæ, Principum Boiemiæq; procerum & ſtatuum cõuentu regni Boiemiæ coronam Pragæ accepit: nec ita multò poſt a.d. XXIV. Nouẽb. magno Principum omnium conſenſu Romanorum Rex Francofurti creatus,& ſequentis anni menſe ſeptembri Vngarico diademate redimitus,atq; ita intra vnum ſolis curſum ter inunctus, poſt patris obitum piè ac laudabiliter imperium tenuit.

Vratislauiam celebri cum pompa aduentu exoptatiſſimo ingreſſus eſt A. C. CIↃ IↃ LXIII. die ſexto Septemb. qui D. Nicolao ſacer: vbi cum à Principibus & ſtatibus prouinciæ in eius verba iuratum eſſet, a.d. XIII. Decemb. in ſublime tabulatum ſiue theatrum ad id in foro exſtructum variiſq; inſtratum aulæis adſcendit,& à ciuibus Vratislauienſibus, Namslauienſiumq;,& Nouo-

Nouoforensium legatis fidelitatis ac subiectionis debitæ iuramentum more solito accepit. Admissi ad abiturientem VI. Cal. Ianuar. ministri Euangelij in Ecclesia Vratislauiensi debitum Maiest. Regiæ piæ gratulationis de tanta felicitate, qua nihil in humanis rebus maius & celsius esse potest, officium peregerunt: doctrinæq; suæ ratione reddita, augustum sibi, Ecclesiis & scholis Vratisl. totique adeo Reipub. patrocinium submissa oratione flagitarunt & vt Euangelicæ doctrinæ & sacramentorum, sicut ea diuinitus instituta sunt, & omnium piorum ministrorũ protector esset humiliter petierũt. Quibus à D. *Zasio* Vice-Cancellario Regis iussu ac nomine in hæc verba responsum: *Sacra Romanorum, Hungariæ, Boiemiæ Regia Maiest. has vestras gratulationes, & preces, quæ publicè fiunt pro sua R. M. & augustissima coniuge, & illustrissimis liberis libenter suscipit & acceptat, nec non narrationem de statu Ecclesiæ, doctrina & moderatione vestra, quam R. M. anteà probè nouit, & ex vestra oratione intellexit, approbat, hortaturq; : vt deinceps eadem moderatione vtamini, qua hactenus in docendo vsi estis, ac pergatis officio vestro fideliter præesse, sicut R. S. M. sperat, & non addubitat. Vicissim R. M. vos & vestras Ecclesias vult sibi habere commendatas, & in suam defensionem suscipit, & vult vos tueri. De cetero caueatis, ne hæreses, & præsertim Schvvenckfeldiana, quam in his partibus R. M. audit grassari, idq; R. M. vehementer dolet, & aliæ detestandæ sectæ irrumpant.*

Solimanno anno CIↃIↃ LXVI. Hungariæ vicinisque prouinciis imminenti magna & celebri expeditione ipse occurrit, progressumq; inhibuit. Anno deinde CIↃ IↃ LXXV. a.d. XIIX. Octobr. in vicem elapsi *Henrici Valesij*, quem in reditu ad se venientem nulla æmulationis, quæ prius intercesserat, habita ratione sic humaniter habuit, vt non modò incolumem, sed etiam muneribus & omni genere hospitalitatis honestatum, Romanorum etiam ipso Rege & Archiduce Ernesto longius eundem comitantibus, ad suos liberè permiserit proficisci, cumq; aliquando interrogaretur, an tantum tamq; paucis comitatum hospitem

hospitem domi suæ videre sperauisset, magnifica voce. Et vidi, inquit, & eo quo par erat, honore dignatus sum, quandoquidem etiam ille meæ se concrediderat potestati: In huius ergo vicem à præcipuis Poloniæ Dynastis Warsauiæ Rex Poloniæ electus est & proclamatus, *Andr. Dudithio* ipsius oratore cũ collegis Reuerendiss. Episcopo Vratisl. *Martino Gerstmanno*, *Matt. à Logavv* Ducatt. Svvidnic. & Saur. Capitaneo, & Marescalco Morauiæ Domino à Leip: eius rei caussa splendidissima legatio à Polonis Viennam missa. Sed cũ diuturnior mora & alia quædã impedimenta intercessissent, aduersa factio iussu Turcarum Principis *Stephanum Bathorium* Palatinum Transyluaniæ interim attraxit, qui & regno citius opinione potitus est. Contra quẽ iuris sui tuendi caussa, vt & de auxiliis aduersus Turcã expediendis, Comitia Ratisbonam sequenti anno Cæsar indixit: quibus ad finẽ fere perductis, cum decreta comitiorum, præsenti filio *Rudolfo*, in palatio publicarentur, desideratissimus patriæ & huic imprimis vrbi Imperator mœrore ac curis confectus præclaros inter conatus & quasi ordinum imperij manus IV. Id. Octob. qui in Fastis Maximiliani est, paulò ante horam 9. matut. optime meritam de Repub. Christiana animam Deo reddidit, cum XLIX. annos vixisset: Princeps præter proprium generi characterem, humanitatem puta, prudentia & iusticia insignis, & in quo ad summam fortunam nihil meritò desiderares, nisi ipsam fortunam & firmiorem valetudinem.

Maximilianum nobilissima serie ex eadem sereniss. gente Austria secutus RVDOLFVS II. filius qui celebri illo ob nouum sidus in via cœli lactea ad oram asterismi Cassiopææ conspectum anno M. D. LXXII. die XXV. mensis Septemb. Posonij Rex Hungariæ, anno autem LXXV. die XXII. mensis eiusdem Rex Boiemiæ Pragæ in summa basilica creatus, & ne qua in parte filio parens deesset, eodem procurante, illo ipso anno, consentientibus vtriusq; Ordinis Principum suffragiis Rex Romanorum die XXVII. Octob. electus, & Kalendis Nouembris Ratisbonæ,

tisbonæ,annum ætatis quartum ac vicesimum agens, coronatus est. Vratislauiam venit magno & solemni apparatu anno CIↃ IↃ LXXV. circa Pentecostes Festum. Quem in patenti cãpo cum Silesiæ Principibus atq; Ordinibus Episcopus Vratislauiensis *Martinus*,velut supremus Silesiarum præfectus, Germanica lingua excepit: per vrbem autem & arcum in platea D. Adalberti magnificè extractum,& simulacris atq; descriptionibus ornatum deducto, cum insulæ appropinquaret, habitu Pontificali cum sacro canonicorum collegio,tanquam Episcopus, obuiam progressus est: deq; felicissimo atq; augustissimo aduentu gratulatus in templum Cathedrale D. Ioannis deduxit. Actis autem illic Deo gratiis, & à Symphoniacis recitato BB. Ambrosij & Augustini cantu in hospitium à senatu Vratislauiensi in foro instructum Cæsar surrexit. Subiectionis iuramento à Silesiæ statibus exigendo, priuilegiis eorundem (ne quid laudabilis & à maioribus iam ab aliquot seculis vsurpatæ consuerudinis prætermitteret) renouandis,confirmandisq;, & negocijs alijs ad Rempub. pertinentibus expediendis, totum Vratislauiæ mensem exegit,indeq; in Morauiam perrexit.Cum multa autem *Rudolphi* Cæsaris non minus in hanc vrbem quam in vniuersam gentem Silesiam (cuius in bellis potissimum Turcicis cum Amurathe, Mahumete & Achomate potentissimis ex ordine Turcarum Imperatoribus non minus fortiter quàm feliciter gestis,præclaram fidamq; operam,quà in milite mittẽdo, quà in pecuniâ & sumptibus liberaliter contribuendis, si quis alius Cæsarum,abundè expertus est) merita eximium planè censeo: quod experientiâ edoctus sapientissimus Princeps, religionem imperari, aut inuitos ad eam cogi non posse, & quod adeò *Maximilianus* pater *Henrico Valesio* in Galliam redeunti dixisse fertur, *qui imperium sibi in conscientias sumunt, dum se cælo hoc zelo potituros sperant,sæpè, quæ in terris habent, amittere*, Pacem Religionis in Silesiâ,non obstantibus contrarijs aliorum consilijs & studijs, a. d. XXIX. August. A. C. CIↃ IↃ CIX. solemn

lemni decreto sanxit. Quo nomine XI. Octobr. Vratislauiæ atq; alibi Deo opt. max. solemnibus verbis gratiæ fuerunt actæ, & hymni in seruatoris laudem incredibili hominum lætitiâ decantati.

Viribus corporis & animi iam inclinantibus ad metam omnibus mortalibus constitutam decurrit a. d. XX. Ianuar. A. C. CIↃ IↃ XII. cum annos quinquaginta nouem & sex menses vixisset: eiq; etiamnum viuenti, vti prius in Hungariæ,ita in Boiemiæ regno A. C. CIↃ IↃ XI. quod ab Ordinibus expeteretur,succenturiatus esset MATTHIAS frater, Romanorum idem Imperator anno exacto, pro gloriæ crescentis facilius quam inchoantis more,post vnanimem Electorum suffragationem,non sine præsente Numine electus. Qui quidem cum Pragæ secundâ πεντεκοστῆς feriâ diadema regium solemnitate capiti suo *Cardinalis Ditrichsteinij* manu impositum accepisset,septembri mense Vratislauiam venit, tanto splendore apparatuq; exceptus,vt Silesia nostra magnificentius aliquid vix viderit.

Cum primum enim rebus in Boiemia constitutis aduentum suum Silesiis Rex indixisset, Principes atq; Ordines ad habendos Maiest. ipsius honores animum appulêre, eamq; in rem multa cura,pro se quisq;,ante omnia incubuêre. Tum ipsa Vratislauia haud dici potest, quanta cum lætitia & alacritate Regem operiebatur: ob id non sumptibus, non laboribus vllis parcendum rata: quo Maiestas Regia cum ea, quæ tanti nominis,tamq; augustæ & velut fato quodam ad imperium orbis terrarum natæ familiæ Principem deceret, exciperetur reuerẽtia. Et in viam quidem Rex se dedit magno comitatu a d. XXIIX. Augusti,iter faciens per Lusatiam: vbi cùm fidelitatis iuramento obstringendis sibi Lusatiis aliquot dies exegisset, continuato itinere a. d. XV. Septemb. *Lignitium* venit,ab illustrissimo *Ioanne Christiano* Lignicensium & Brigensium Duce cum nobilitate sua obuiam progresso magnificè & omni lætitiæ significatione exceptus. Digressus inde postridie cum ducatus Vratislauien-

sis limitem haud longè *Nouo-foro* attigisset, obuios habuit senatus Vratislauiensis legatos. *Danielem Heslerum, Ioannem Haunoldum* senatores & *Christophorum Henscherum I C.* Syndicum Reip. & ducatus pro-Cancellarium: qui mox equis descendentes regem curru vectũ demissimè pro more consalutarunt. Idemq; à *Nouo-forensibus* factum: apud quos cum Rex pransus esset, sub vesperam eius diei *Lissam*, vno ab vrbe milliari abiunctam, ac satis magnificâ & eleganti arce præditam peruenit. Ibi summâ cũ obseruantiâ & insigni liberalitate à Nobilissimo *Henrico Hornigk* eius vici domino cum suis habitus in tertiam vsq; diem ob causas, quas dicere non est, subsistit.

Indicto porrò ad XVII. Septemb. Regis in vrbem Vratisl. aduentu, Principes, Barones, ceteriq; prouinciæ istius ordines copias suas iusti exercitus specie, sed vt ad publicam lætitiam ornatiores & omni generis cultu instructissimas extra vrbem maturè eduxerunt, & statim atq; peracto prandio Regem Lissa mouere cognouerunt, obuiam ei, cum magna procerum turba aduentanti, processerunt. Vt in conspectum venit, Principes ab equis desilientes, ad Regem pedites accedunt & cum ea, qua par est, reuerentiæ significatione, suscipiunt, tum illustrissimus *Carolus Dux Monsterbergensis* supremus vtriusq; Silesiæ præfectus breui sed apta & apposita oratione affatur, Deo inprimis opt. max. gratias agens, quod Maiest. Regia felix ac fausta eò tandem peruenisset, vbi vniuersorum votis diu exoptatus gentis Silesiacæ fidem, obsequium, & singularem erga Reges suos obseruantiam experiretur, eamq; ipsi felicitatem gratulans, & ad extremum rogans & optans, vt faustis omnibus ac felicibus auspiciis regnum iniret. Annuit dicenti Rex læto ac sereno vultu, & per supremum regni Boiemiæ Cancellarium pluribus respondit. Cumq; curru descendens in equum egregiè instructum insiliisset, singula nostrorum agmina cum voluptate simul & admiratione oculis perlustrauit: non tàm insignem illorum ornatum & discolorem vestitum, quàm viros, arma, & equos obseruans.

seruans. Ad vrbem pergenti inter Kosel & Gande villas senatus Vratislauiensis legati cum CCC. equitibus obuiam venêre, de felicissimo augustissimoq; aduentu Maiest. Regiæ gratulantes, & vrbis claues in obsequij signum humiliter offerentes. Nec vlla amplius mora interposita ad vrbem recta proceditur. Viæ duces erant tres Vratislauiensium ciues: post quos prima incedebat magnificè ornata illustrissimi *Caroli Monsterbergensium Ducis* nobilitas cum equis 448. hanc *Marchionis Brandenburgensis* cum equis 149. duce *Ioanne Georgio Comite ab Hohen-zollern*, Principum & ordinum Silesiæ Generali ac supremo Ducis belli locum tenente: tùm *Lignicensis Ducis* cum equis 690. & postremo *Teschinensis* cum 285. equis illa politissimo, ista potentissimo, hæc bellicosissimo adparatu sequebatur. Principum copias Baronum turmæ *Abrahami Burggrauij Donensis*, dynastæ Wartenbergensis qui curru vehens *Carolum Arnthalem* filium in comitatu habebat, cum equis 108. *Ioachimi Malzanij* dynastæ Milicensis cum equis 87. Weighardi Promnicij ditionis Trachenbergensis Administratoris cum equis 54. Abraham deniq; Promnicij dynastæ Plessensis cum totidem equis excipiebant. Illiq; *Swidnicensis & Iauorienſis* nobilitas, cuius præfectus *Caspar à Rechenberg. L. B.* in Klitschdorff, &c. & ipse curru vehebat, cum equis 367. deinde *Glogouiensis* cum equis 276. mox cum equis 188. *Oppoliensis & Ratibouiensis*, in qua duo Barones *Georgius Rederus* & *Ioannes Kochtizky*: tum *Saganensis, Monsterbergensis & Francosteinensis*, cum equis 69. deniq; *Vratislauiensis*, quam ducebat ducatus præfectus *Adamus à Dobschitz*, cum equis 312. cultissimo omnes ornatu succedebant. Secuti Vratislauiensium 319. equites ornatissimi ducentibus *Ioanne Puchero, Leonhardo Olhafio, Adamo Sebischio* Reipub. Vratisl. senatoribus: eorumq; vestigiis institêre reliquarum vrbium in ducatibus, quos vocant, hæreditariis legati cum equis 105. Proximus fuit Cameræ Silesiacæ Præsidis & Consiliorum equitatus 69. equis constans. Hinc regiorum equitum agmen sese inferebat: quod secuti proceres, consilia-

rij & officiales Regiæ Maiest. complures, & inter eos primo loco *Eusebius Kuhn Baro à Gelassi Præfectus Comorrensis*, *Gundackerus Baro Polhemius*, *Adamus Baro VValsteinius*, *VVenceslaus Budouicius*, *Georgius de Landavv Baro in Haus & Rappelstein*. Secundum hos senatus Vratislauiensis legati *Daniel Heslerus*, *Ioannes Haunoldus*, *Iosephus Furst*. Senatores & D. *Christophorus Henscherus*, Syndicus: deinde Præses & consiliarij Cameræ Silesiacæ *Sigismundus Zedlicius* & *Georgius Schonaichius* Barones, *VVenceslaus Zedlicius*, *Balthasar Bafor*, *Io. Georgius Schonaichius*. *Elias Hartelius*, permultiq; alij primariæ nobilitatis viri: tum ex quatuor illis Silesiæ Dynastis *Ioach. Malzanius*, *Abrahamus* & *VVeighardus Promnicy*: & post eos quatuor Silesiæ Principes illustrissimi, simul eo ordine incedentes; vt *Caroli Monsterbergensium Ducis* dextrum latus *Ioannes Christianus Lignicensium & Brigensium Dux*, sinistrum *Ioannis Georgij Marchionis Brandenburgici Ducis Carnouiensis Adamus VVenceslaus Teschinensium Dux* adiret: tandem *VVolfgangus Sigismundus in Losenstein*, supremus aulæ regiæ Marescalcus districtum Regi (instar præfecti prætorio, cui similes apud Byzantinos Spatarij & Protospatarij, qui & Spataferij alicubi dicũtur) gladiũ præferẽs. Atque post hunc demum Serenissimus ac potentissimns Hungariæ & Boiemiæ Rex MATTHIAS II. Vngarico habitu præciosè vestitus, & equo nobili, cuius habenæ argenteæ, clitellæ inauratæ & phaleræ auro gemmisque lucentibus distinctæ, vectus incedebat. Latera sclopetarij quinquaginta totidemque cum longis securibus, quæ Alebardæ vocantur, cingebant. A tergo Regem insecuti *Melchior Closelius* Episcopus Viennensis, *Leonhardus Helfridus à Meggau* in Creutzing Regiæ Majest. Camerarius supremus, *Sdenco Adalbertus Poppelius* supremus regni Boiemiæ Cancellarius, *Georgius Andreas ab Hofkirchen* Barones: *Georgius Fridericus Comes Hardeccius*, *Vlricus à Krenberg*, S. Cæs. & Reg. Majest. à secretioribus consilijs, & Vice-Cancellarius aulicus, *Bruno Comes Mansfeldius*, *Henricus Duvval Comes de Tampier*, *Albertus Comes Furstenbergius*, *Caspar Iliashasi de Sadera Comes Comit.*

mit. Trintzin. & Libuni. S. R. M. cubicularius, complures q; alij Boiemiæ, Morauiæ, Austriæ dynastæ, aulæq; primores & ministri. Postremas partes habuêre ducenti equites, quos vulgò corruptâ voce Walones nuncupamus: & aliquam multi equites Germani regij: quos secuta Rheda regia, opere serico sex iugalibus concoloribus deuecta, & 48. præterea carpenta, pleraq; sex, pauca quatuor equis iuncta. Hunc in modum Maj. Regia horâ post meridiem tertiâ tubis inde, buccinis, tympanis, organis, musicis cantionibus, campanis denique personantibus, & inde machinis maioribus, quæ ex vrbis propugnaculis vndiq; displodebantur, crepantibus, per ciuium pedestres vexillationes ex vtraque parte ordinatas Vratislauiam ingressa est: effusa ad nouum spectaculum omnis sexus atque ætatis multitudine, quæ videndi Regis cupiditate accensa non tantùm vicos & vrbis regiones, sed & fenestras, meniana, podia, tecta deniq; ipsa repleuit. Extructus erat à S. P. Q. Vratisl. in ipso D. *Adalberti* plateæ vestibulo, instar portæ, arcus triumphalis columnis, simulacris, picturis, titulis, elogijs alijsque ornamentis ab imo ad verticem ex vtraque parte conspicuus: in quo proficiscente rege dulcis harmoniæ Musicæ concentus editus. Visebatur inter alia in eius summo simulacrum *Gloriæ*, quæ expansa vtraque manu laurum gestans, vbi Rex transiret, se conuertit, Maj. Regiæ coronam imposituræ similis. Per hunc arcum Rex deductus in insulam D. Ioannis pro veteri more contendit, vbi à collegij sodalibus, Abbatibus infulatis, ceterisq; Ecclesiasticis cum crucibus vexilliſque diualibus obuiam venientibus more maiorum exceptus est, cumq; equo desiliens in puluinar sericum se demisisset, *Georgius Episcopus Lidanus*, suffraganeus Vratislauiensis & Abbas D. Vincentij crucem argenteam reliquijs insignem deosculandam Regi porrexit. Inde in pedes erecto oratione Latinâ *Franciscus Vrsinus* Theol. D. Canonicus gratulatus est: cui cum per Cancellarium eadem linguâ respondisset, ad primariam B. *Ioannis* ædem perrexit: in cuius vestibulo ab Episcopo agna-

po agnato salutatus, & in intimum templum ad maiorem aram argenteam deductus in solio ad id parato consedit: tum B. B. Ambrosij & Augustini hymno à phonascis inter tympanorum & buccinarum clangores decantato vota & preces pro salute Regis peractæ. Quibus finitis templo egressus sonipedem Rex conscendit, & à Principibus atque ordinibus, qua via quóve ordine venerat, ijsdemq; ceremonijs & ouationibus in vrbem reductus, in ædes regio diuersorio in vrbis foro primario iam olim destinatas inclinata iam die ad cœnam & quietem concessit: moxq; & campanæ iterum pulsatæ, & iterata è machinis maioribus tonitrua. Subsistit autem Regia M. Vratislauiæ ad XVII. vsque Octobris: quo tempore quæ propter regiminis emendationem & Cancellariæ Silesiacæ constitutionem disputationes motæ, quæ habitæ deliberationes, quibus solemnitatibus homagium atque obedientiæ sacramentum à Principibus atque ordinibus prouinciæ & Vratislauiensibus adeò ipsis præstitum, quæ à quo quóve apparatu instructa conuiuia, quæ ludicra spectaculaq; instituta, distinctè commemorare aliam scriptionem postulet. Felicioribus ingenijs totum hunc campum relinquo: mihi satis sit exarasse hanc glebam. Neque quidquam porrò hîc loci restat aliud, nisi vt eodem planè voto, quod Christiani quondam pro salute Principum etiã non Christianorum nuncupare soliti, Imperatori & Regi nostro Christiano vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum à Deo Opt. Max. comprecemur. Sed quid prohibet, quò minùs coronidis loco magni cuiusdam viri votiuam in publica Silesiæ lætitia acclamationem subijciam, & hanc velut purpuram burro meo (quod cum bona eius gratia liceat) inseram.

MATTHIA AVSTRIADVM REX *edite sanguine* REGVM,
Quo nil Sol toto clarius orbe videt.
Nunc quoque SLESIACOS *post tot diademata fasces*
Accipe, quos fati destinat ordo tibi.

SLESIA

SLESIA *te Dominum Regemq; Ducemq; salutat;*
O vtinam & Patriæ te vocet illa Patrem.
Et vocat. AVSTRIACÆ *propria hæc est gloria Gentis,*
Subiectos propriæ prolis habere loco.
Hanc etiam exspectat nunc abs te SLESIA *laudem,*
AVSTRIACÆ *cultrix relligiosa* DOMVS.
Redde PATER PATRIÆ *nobis post nubila Solem,*
Redde focis pacem, iustitiamq; foro.
Respice REX *viduas, pupillorumq; querelas,*
Molliaq; afflictis sint tua sceptra reis.
Tu veterum REGVM *pacta & conuenta tuere,*
Tutaq; præsidio sint sacra nostra tuo.
De quibus vt varians benè vel malè sentiat orbis,
At certè CHRISTI *nos quoque membra sumus.*
Et præter CHRISTVM *nil clamq; palamq; docemus:*
Vita nec à nostra hac est aliena fide.
Proq; tua facimus REX MAXIME *vota salute,*
Et plena est laudis concio nostra tuæ.
Nec quisquam inter nos, qui non sit ferre paratus
Pro CHRISTO, *& pro* TE, *pro Patriaq; necem.*
Ergo patrocinium deuoti suscipe cœtus,
Nec fieri innocuis vim patiâre SACRIS.
A REGVM *arbitrio & nutu reliqua omnia pendent,*
Relligio at soli est obsequiosa DEO.
Nil illa exilium, nil ferrum & vulnera curat,
Et trahit ex ipso vitam animamq; rogo.
Aspice FERNANDVM REX, *aspice,* MAXIMILIANVM,
Queis nihil in toto mitius orbe fuit.
Ille Auus, iste Pater, populis docuêre regendis
Exemptam humanis legibus esse FIDEM.
Quos tu si sequeris, non iam REX *magne* SECVNDVS,
Verùm ipsâ inuidiâ iudice PRIMVS *eris.*

I CA-

CAPVT VLTIMVM.

Gubernationis vrbanæ in profanis ſacriſq; ratio. Alia item vrbis decora.

VRATISLAVIÆ Dominos, tam qui priſcis fuerunt, quàm qui noſtris ſunt temporibus explicui: ad vrbis gubernationem quà ciuilem & politicam, quà ſacram & Eccleſiaſticam, aliaq; eius ornamenta iam nunc ſermo conuertendus.

Formâ Reipubl. Vratislauienſes vtuntur *Ariſtocraticâ*, ex patriciorum ordine ac lectiori parte ciuium, qui honoratiſſimi ac rerum vſu exercitatiſſimi prudentiſſimiq; habentur, quindecim, ex tribubus verò, Zythopolarum puta, inſtitorum, pannificum & laniorum nonniſi quatuor in Senatum adſciſcentes: cuius ea quidem & dignitas eſt & auctoritas: vt conſeſſum illum qui intueatur, à Romulo conſcriptos patres, aut Athenienſium Areopagitas recognoſcere ſibi videatur. Cum autem vix alij quàm qui ex ciuibus oriundi ſiue indigenæ ſunt (à peregrinis enim debitam patriæ caritatem minimè exſpectandam putāt) ad Reipublicæ gubernacula admittantur: tum hoc etiam leges auitæ volunt: ne Principi alicui prædiorum ratione iureiurando ſint obſtricti: cum non rarò intercurrant, quæ vtrumque haud patiantur. Quid ipſum tamen non vſquequaque ſeruari conſtat.

Iuriſdictio Senatus tam intra quàm extra muros vniuerſo ducatu Vratislauienſi eiusq; diœceſibus Namslauienſi & Nouoforenſi hodie concluditur: ſed non eodem vbique, verùm alio atque alio iure, puta vel proprio, vel vicario & fiduciario. Proprio quidem cum in vrbem ipſam & partem ſuburbiorum certam (in parte enim multò maximâ Epiſcopo & ſacerdotibus iuriſdictio cum imperio eſt) tum in pagos & vicos Reipubl. ſubiectos. Vicario in vniuerſum ducatum: idq; propter præfecturam Boiemiæ Regum auctoritate & beneficio Senatui Vratislauienſi conceſſam. Quæ cauſſa eſt, cur præter conſules, qui alijs in Rebuſp. Senatus capita & moderatores, Capitaneum habeat

habeat ex ipſo ordine à decurionibus lectum, quo munere cum hactenus ſemper viri ſtrenui, auctoritate, ſapientiâ & dignitate nobiliſſimi Reichelij, Haunoldi, Hornigij, Monauij, Ienckwitzij, Metzleri, Schebitij, Sauromanni, Banckij, Rhedigeri, alijque ſumma cum laude functi fuerunt: tum etiam hodie eadem cum laude vir ſtrenuus & magnificus Dn. *Adamus à Dobſchitz in Silmenau* ita fungitur: vt nec boni, quod querantur, nec mali, quod calumnientur, habeant. Dignitas Capitanei non temporaria, nō vnius anni volaticum gaudium, quomodo Romanorum conſulatum Tertullianus alicubi vocat, ſed perpetua, & ad vitā: vt & Senatorum regulariter omnium: niſi quod officiorum, quæ vt numero plura, ita pulcherrimè ſanè diſtincta ſunt, ſubinde permutentur.

Summa patrum diuiſio, quòd ex ijs II X. ſunt conſules, alij XI. ſcabini. *Conſules* de ſumma gubernationis diſpiciunt, decreta omnis generis ad bonum ciuitatis publicum condunt, mulctas, quibus videntur conuenire, imponunt, & ius quoq; ac ſententiam in cauſis ciuium controuerſis dicunt & pronunciant, ſed vt arbitri magis quàm vt iudices: è quibus ſtatis temporibus qui ceteris præſidet & ſpecialiter conſul audit, eligitur. Morem in eligendo conſule Vratislauienſis curiæ veterem ſequentibus verſibus deſcripſit *Georgius Tilenus* I C. & Poëta minimè tralaticius.

Conſilium quando regni de rebus haberent,
Quos penes arbitrium Perſidos orbis erat:
Dulcia principio libabant munera Bacchi,
Ad ſeriem paterâ circumeunte patrum.
Elyſiæ ſimilem Budorgis curia morem,
Cum mutat vicibus penſa peracta, colit.
Nam ſua decedens ſubituro in munia Conſul
Præbibit vndantem rore rubente ſcyphum.
Aureolumq; viri digitis accommodat orbem,
Publica qui certis roborat acta notis.

Ritus hic & sensu grauis est & tempore: Bacchus
Vim fouet ingenij fœderibusq; fauet.
Scilicet hæc felix stabit Respublica, firmam
Quæ pactis seruat consilijsq; fidem.

Scabini iudicijs & litibus curant, & fastis ferè diebus causas iudicant, inductam in iudicium controuersiam decidunt, quæstionibus & tormentis adsunt, crimina excutiunt, noxios puniunt, &c. quibus vicariam operam, tanquam iudex pedaneus, præstat vrbis, quem vocant, Aduocatus. Neque verò paruum ciuitati vel præsidium vel decus & ornamentum à Scabinatu: quippe cuius tanta est auctoritas, vt non modò iurisdictionem inter ciues exerceat, sed ex dissitis etiam locis homines responsa à Scabinis Vratislauiensibus eorumque Adsessoribus de iure petant, quibus certi de incertis reddantur, & temerè res tractare turbidas caueant.

Cùm autem, vt verissimè olim à sapiente dictum, *ibi multa salus sit, vbi multa sunt consilia*, &, vt historicus prudentissimus clarè asserit, *omnia regna, ciuitates, nationes vsque eò prosperum imperium habeant, dum apud eos vera consilia valent*: econtra verò ex Lyricorum Principis sententia, *Vis omnis consilij expers mole ruat sua*: Amplissimus etiam ordo Vratislauiensis consultissimos atque clarissimos sibi viros adsciscere solet, cùm iura qui & leges teneant, tum, quod primum ac præcipuum est, quanquam alterum non minùs necessarium, qui virtute, integritate, & prudentiâ præstent. Qui quidem cum Senatui non modò in administranda iustitia, sed totâ Republ. gerendâ consilio adsint, perennesq; apud principes exterosq; publicæ voluntatis interpretes, ac quasi perpetua quædam memoriæ ac dispositionum in Repub. sint scrinia: magna & dignitate & auctoritate apud omnes pollent, liberalibusq; Reip. ornantur stipendijs. *Syndicos* vulgò vocari consuetudo obtinuit.

Inferioris subsellij & subalternorum magistratuum, publicasque procurationes siue administrationes habentium, vt & eorum,

eorum, qui Senatui à secretis, libellis & epistolis magnum in tam ampla ciuitate esse numerum, vel me tacente, nemo est, qui non intelligat.

Legum porrò, quibus Respubl. temperatur: instituta planè præclara: tum *iudiciorum & gubernationis* in præmijs & pœnis, quibus duobus Solon Rempubl. dicebat contineri, æquâ lance trutinandis meritisque conuenienter distribuendis ea iustitia: per quam concordia & tranquillitas, ac mutua quædam tum magistratus erga ciues στοργὴ & affectio paterna, tum ciuium erga Senatum verè augustum charitas & reuerentia longo iam tempore conseruata est: vt quanta in gubernatoribus rectè imperandi industria atque sollicitudo, tantum in populo honestè parendi studium exstiterit. Cui rei vel hoc indicio esse potest: quòd vix vllam memorabilem secessionem, aut pernicioſam discordiam (si vnam illam supra nobis commemoratam, cui Wenceslai nimia in ciues quosdam indulgentia causam dedit, excipias) hæc Respubl. in tanta plebeiorum hominum multitudine sensit. Quod profectò non minùs quàm olim vel Athenæ, vel Thebæ, vel Roma, vel aliæ ciuitates magnæ euitare potuissent: nisi ea esset talisque huius Reipubl. constitutio, quam optimam esse constaret, qualemque apud *Aeschylum* Pallas depinxerit, τὸ μήτ' ἄναρχον, μήτε δεσποτούμενον. Vt quam laudem *Pindarus* Olympiorum Od. XIII. Corinthiæ vrbi tribuit, eandem Vratislauiæ iure merito adaptare possimus:

Ἐν τᾷ δὲ Εὐνομία ναίει, κασι-
γνήτα τε, βάθρον πολίων,
ἀσφαλὴς δίκα, καὶ ὁμό-
φροσυνα τεκέσσα, τᾶμίαι
ἀνδράσι πλοῦτε, χρύσιαι
παῖδες εὐβούλᾳ θέμιτος:

hoc est, interprete *Mel. Laubano*:

Hoc opidum Eunomia seruat, soro-
resq;, vt pote honora basis
Vrbium Astræa, & comes in-

dole Pax eadem, cataæ opum
Diribitrices, aureæ
Filiæ altricis Themidos.

Ad quam quidem Eunomiam *Ioannes* etiam *Caselius* præstantissimus Orator & Philosophus Saxoniæ respexit in eo, quod Nobilissimorum virorum *Thomæ Rhedigeri*, *Ioannis Cratonis* & *Iacobi Monauij* memoriæ ac honori scripsit, carmine, cuius tale initium.

Astu Bratelesius, quam præter labitur vrbem
Sarmaticus Viader, diffindit paruulus Alas,
Prima veridici laudant ab origine vates.
Quin & ego Breslæ felices pradico ciues:
Non quia sunt dites, vti sunt, & iugera campi
Millia arant, mercesq; vehunt reuehuntq; per vrbes.
Mœnia mirentur, palatia, strata viarum,
Turritas alij portas, & splendida templa,
Quæq; procul veniens primum nouus aspicit hospes.
Nam placet vna mihi perrara & plena salutis
Eunomie, in princeps rerum clarata solam:
Eunomie pœnis enormia facta coercet·
Eunomie fouet & tribuit sua præmia iustis,
Et non degeneres ad summos ducit honores.

Idq; bonum vt propriium huic ciuitati sit & perpetuum, faxit ille solus perpetuus & vnicus imperiorum rerumq; publicarum stator & auctor Deus.

Cum multa autem auerruncandis seditionibus facere videntur, tum nihil impensius prodesse sentio: quam quod artificum nulla admittuntur conuenticula publica aut priuata, nisi permissu senatus, & præsentibus iis, quibus inspectio cellegiorum à senatu demandata: ne nimirum, quod compertum alibi non raro, aduersus senatum & optimates pernicioſa coquere consilia possint. Quo loco & illud annotatu dignum non est omittendum, cum vrbs tota in quatuor ῥύμας siue vicos aut regiones, Vindrinam videlicet, Russam, Olauiensem & Nouoforensem,

rensem, ritè sit discriminata, singulis regionib. ῥυμάρχας hoc est, magistros vicorum, vulgo Viertelmeister/præfectos: ad quos vel incendio aut tumultu exorto vel aliâ necessitate postulante vniuersæ ῥύμης habitatores accedant: vt singuli rhymarchæ suæ præfecturæ viros in locum sibi attributum, ad custodiendum puta forum, curiam, templum aliquod, vel aliquam plateam deducant.

Ecclesiasticum quod attinet *regimen*, id quin optimè sit constitutum, dubitari non oportet: Est enim hæc vrbs, Dei beneficio, hospitium veræ doctrinæ, & sonat in illa purior vox Euangelij, vigetq; legitimus sacramentorum vsus. Inprimis autem amplissimus ordo senatorius omni diligentia ac studio in id hactenus incubuit: vt Ecclesiarum gubernationi & ministerio adhiberentur ij, qui iunctâ vitæ integritate fideliter ac sincerè diuina oracula interpretarentur, profanisq; subtilibus, Sophisticis & minimè necessariis neq; ad ædificationem quidquam proficientibus quæstionibus ac controuersiis, quibus hodie cœlum terræ permiscet insatiabile disputandi Cacoethes, longum valere iussis, vtilia tantum & necessaria populo proponerent. Qua quidem in re communis ille olim Germaniæ præceptor, & quo fortasse radij solis illo æuo meliorem nullum illuxere alterum, *Philippus Melanchthon* senatus Vratislauiensis prudentiam maximopere prædicare solitus fuit: neq; fidei ac veritatis minoris auctor *Abrah. Bucholcerus* de Ecclesiis Vratislauiensibus hoc perhibere non dubitans: *Ecclesiarum vrbis constitutio præclara est, & in tuenda vera religione constantia: qua in re illud admiratione dignum est, quod immenso Dei beneficio inter tot certamina de religione, quibus ampliſſimæ ciuitates magno suo malo inuolutæ & contamnatæ fuerunt, Vratislauia ab omni labe libera atq; immunis permansit.* Tam amans autem publicorum congressuum Vratislauiensis est populus, tantoq; passim occursu templa petit orationum ad Deum sacraria: vt quoties ad populum verba faciunt de sublimiore Ecclesiastæ loco (neq; id verò diebus tantum dominicis sed & certis

certis quibuldam hebdomadalibus) millia reperias auditorum, & ingenti semper corona doctorem suum cinctum: ita quidem, vt haud rarò tantæ multitudinis vel spacioſiſſima templa minime sint capacia.

Iam *pauperum* (quos Saluatoris numularios, hoc est, argentarios siue trapezitas Christi, quippe cum per eos fœnus exercet vt pecunia, quæ talibus dispensatur, augeatur, elegantissimè Saluianus vocat) cura quanta habeatur vel Hospitalia docent supra à nobis memorata: quorum tutelæ præsunt viri electi, dignitate & vitæ integritate conspicui: qui seria solicitudine res administrant, statisq; anni temporibus acceptorum & expensorum rationes reddunt. Neq; vero minus prona Vratislauiensium misericordia atq; benignitas in pauperes domesticos: qui tametsi familiam alunt, coniuges & liberos habent, manibusq; atq; operis quotidianis victum sibi comparare studeant, temporum tamen iniquitate aliaue calamitate oppressi victui comparando familiæq; in totum sustentandæ sufficere nequeunt: quorum omnium, quoad fieri potest, egestati, inopiæ & miseriis eleemosynarum distributione succurritur. Estq; ad id ærarium Eleemosynarium seorsim constitutum, eiq; præter quotidianas fidelium stipes in gazophylacia inijci solitas ex piorum hominum ad pias causas relictis legatis atq; aliunde certi reditus deputati: quibus colligendis & dispensandis optimates ciuium præficiuntur, Eleemosynarij vulgo adpellati: Mendicis autem validis & ociosis, qui sibi inutiles, aliis graues, stipem ostiatim quærere minime conceditur.

De *Scholarum* quid dicam constitutione? quas cum senatus Vratislauiensis non ignoret bonorum omnium fontes esse & religionis, virtutis, atq; omnis honestæ disciplinæ quoddam velut seminarium & publicum communis patriæ quasi armamentarium curam earum semper habuit singularem. Loquantur gymnasia *Elisabethanum* (quod mihi quoq; sub eximiis studiorum atq; morum formandorum magistris *Nicolao Steinbergero* & *Martino VVeinrichio*, quorum memoria sit ἐν ταῖς εὐλογίαις, aliquot annis scientiarum suc cum cumulate propinauit) & *Magdaleum*, grandi impendio: Sed nullo Reipub. dispendio fundata, instaurata, ornata: in quibus prælectiones habentur Academicis non cessuræ, si titulo ornarentur; Iuuentus sane veræ pietatis & liberalium artium studiis ac totius ferè ἐγκυκλοπαιδίας disciplinis honestissimis eum in modum exercetur atq; eruditur: vt exteri etiam homines ex vicinis prope prouinciis omnibus, neq; vulgares tantum, sed illustres persæpe viri suos hîc, quàm vbi nati sunt, esse & educari malint: & quemadmodum adeo ex equo Trojano quondam tot armati, sic ex illarum φεντισυείοις tot præstantissimi atq; eruditissimi viri Theologi, Iureconsulti, Medici, Philosophi, Poetæ, tum viri quoque Politici continuo prodeant: quorum haud pauci patriæ, alij aliis locis vtilissimam etiamnum cum magno & Ecclesiæ & Reipub. bono suaq; dignitate & laude operam nauant: multi vero vita functi gratam & desiderabilem nominis sui memoriam apud omnes bonos reliquerunt: vt taceam interim multa præclara ingenia: quorum, vt ait Poeta, adhuc messis in herba est. Ceterum quod plane præter morem vulgi est, tam benefici & liberales in literarũ studiosos sunt ciues Vratislauienses: vt qui sunt fortunæ tenuioris, aut de suo impendere nolunt, hospitium, victum, & necessaria vitæ quæ sint pene omnia partim gratis queant, partim exiguo precio comparare. Ex quorum numero & ego me fuisse lubens fateor, & nunc pro beneficio duplici gratias publice ago. Ne quid hoc loco de alumnis dicam: quos in Academiis bene multos quà Senatus, quà tribuum, quà priuatorum beneficentia liberalissime sustentat.

Quod si clarorum & omniscîâ scientia magnorum virorum, quos Vratislauia vel ipsa peperit, vel alibi partos sinu suo aluit & fouit, Catalogum texere instituam,

Icariæ numerum dicere coner aquæ:

& possem equidem superstitum quorundam laudes persequi:

nisi scirem magnis viris nihil ferè grauius esse ac molestius, quam si audire laudes suas cogantur (*viui* enim cum Pescennio Nigro *probari volunt, sed mortui demum laudari*) & verendum mihi præterea esset, ne si vnius atq; alterius nomen efferrem, eos non tam laudare quam alios non nominando delaudare viderer, atque contemnere. Venient posteri, qui nullo liuore, rubore nullo comite magna seculi vrbisq; nostræ nomina, dignissima non moriturâ pennâ, nobili calamo æternitati consecrabunt. Interea libet hîc Cl. V. *Valentis Acidalij* elegantissimam elegiam, ante annos aliquam multos scriptam, adtexere: vt vel inde liqueat, quam claris ingeniis Vratislauia semper fœcunda.

Flos Sacer Europæ, clarissimeq; vrbium ocelle,
BRESLA, ô Bucretî patria cara mea:
Quis tibi, quis Diuum tam læto numine videt,
Quæ te tam niuea sidera sorte beant:
Vt, quod habet decoris Germania cumq; superbi,
Omne tuo teneas sola beata sinu?
O Bresla, innumeris ter felicissima donis!
Vatibus ô cunctis digna perenne cani!
Non ego in his, vt te celebrem, tamen haud queo, quin &
Ipse meis dicam te quoq; versiculis.
Sed mihi non tàm vrbis Splendor, non mœnia, turres,
Tecta, amplæq; oculos diuitiæ feriunt.
Illa alij laudent: ego mactos laude perenni,
Vna quibus clares, suspicio vsq; viros.
Tu genitrix clari ingenio & clari arte Monauî,
Quem fama Eois didit & Hersperiis.
Tu stirpem aureolam produxti Rhediger orum,
Fulget Sidereis æmula quæ facibus.
Hinc Thomas priclem Aonidum tubar: hinc modo notus
Et patrui & proprio nomine Nicoleos.
Tu quondam, priscæ illum nobilitatis honorem,
Fouisti augusto Dudithium in gremio.

Dudi-

Dudithium Themidis, Phœbi, Suadæq; medullam,
Aeternum cuius gloria viua veget.
Tu peperisti orbi medica insignem arte Cratonem,
Extima quem mundi nouit amatq; plaga.
Tu Ienckvvitzium habes heroem, illoq; senatus
Principe summa caput tollis in astra tui.
Tu magnum Vrsinum, & VVackerum, iuris & æqui
Patronos, Clarij sidera bina gregis,
Tu Schillingium habes, Clioûs animum vnicum, habesq;
Astrææ columen nobile Reussium heræ.
Tu celebres mystas, Hermannum & Scholtzium, Hygææ,
Quos morbi & trepido mors fugit ipsa pede.
Tu nostros peperisti etiam Bucretium amores.
Iam tam qui quoq; te luce noua irradiat.
O felix istis, & quos mihi dicere non est,
Pluribus ô nimium Bresla beata viris!
Et quis adhuc te vnam non dixerit vrbium ocellum.
Quæ tot fulgidulos orbis habes oculos?

Hæc *Acidalius*: quibus consonat scitum anagramma ex vrbis nomine ab alio huius æui Poeta non incelebri artificiosè compositum,

VRATISLAVIA.
LAVTA A VIRIS.

Salue vrbs Elysiæ! Elysiæ salue vrbium ocelle!
Lauta! Sed Acultis nonnisi LAVTA VIRIS.

De opibus, quæ & publicè toti ciuitati, & priuatim ciuibus singulis honestis firmisq; rationibus stabilitæ & fundatæ sunt; de familiarum patriciarum nobilitate claritateq;; de ciuium eorundem in Principem obsequio & fide, in exteros humanitate, amabili inter se concordia & tuendæ dictorum atq; pactorum veritatis curâ, elegantiâ in cultu & moribus singulari; de mercatorum commerciis, & omne genus artificiis, quibus & pacis & belli tempore vsus est, opificiumq; solertiâ & industriâ;

de liberorum ad pietatem, ad laudatos mores & omne officij genus educatione domesticâ; de nympharum venustate & pudicitiâ, aliisq; ornamentis ad statum Politicum & Oeconomicum pertinentibus vberiori stylo multa dici possent. Sed omnino satis habeo, & hæc & alia leui tantum penicillo adumbrasse, pictores hac in parte imitans: qui dum exigua tabella multa volunt exprimere, reluctantibus loci angustiis rerum duntaxat apices ob oculos ponunt: vt, quod de Timanthe insigni pingendi artifice scribit Plinius, in operibus ipsorum plus intelligatur semper quàm scribatur.

Tametsi verò inficias non ierim, vt optima vina suas etiam feces habent, ita nec Vratislauiam suis omninò carere nævis, & vt in tanto hominum cœtu nõ omnes nobiles sunt aut optimates, ita nec bonos omnes aut castos esse & cõtinentes: haud tamen propterea vniuersæ ciuitatis laudibus quidquam derogandum. Id quod magnâ & impudentiâ & iniuriâ à cucullato quodam sacerdote, terræ omniparentis alumno, factitatum videmus: qui suis in concionibus haud ita pridem vulgatis religionis, vt ego quidem reor, odio tam inclementer Vratislauiæ dicit, ac si flagitiorum omnium vitiorumq; sentina esset: inter alia ex Schmidij nescio cuius testimonio palam scribere non dubitans, quæ Venere promiscuaq; libidine magis sit infamis, sub solem vrbem videri nullam. Quæ te verò, immanis bestia, mala crux agitat: vt cum ipse Veneri ac Cupidini operati pro cibo habueris, & impudicitiam quasi aquam biberis, ob paucorum impuritates turpissimis maledictis vniuersę ciuitatis decus cõtaminare in animum inducas? papulas obserues alienas, ipse vulneribus obsitus? verrucas videas cũ te effera scabies depascatur? Lupanaria in multorum etiam honestorum virorum prædijs exerceri Vlpianus scribit libro decimoquinto ad edictum. Et intra hæc quoque mœnia, quæ pudoris sui oblitæ in alienam voluntatem

extra legitimi genialia fœdera cœtus

conce-

concedant, reperiri mirum cuiquam videatur? Imò mirum sit, si in hac tanta vrbe tantaq; populi frequentiâ non reperiantur. At quæ hæc improbitas est ob vitiosas nonnullas, easq; si quod res est dicendum, vel non hîc natas, sed è vicinis, aut etiam remotis locis, vel ex infima ferè plebe sexum totum infectari, & innocentiam adeò maximæ partis scelere paucarum damnare? Quis hoc ius introduxit?

---- quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria?

Quid tu verò? an libidines aliaq; flagitia impunita planè Vratislauiæ censes?

---- credat Iudæus Apella:
Non ego:

qui grauiter ea, si detegi contingat (de occultis siquidem non iudicat Ecclesia neq; iudex legis minister) animaduerti sciam. Excuset hoc amplissimum senatum: quòd legibus pœnas dent, quicunq; conuincuntur leges alibi violasse. Nec Vratislauiensibus ergo vniuersis fraudi aut culpæ sit, si peccent aliqui, sed si impunè & liberè peccare liceat. Verùm te missum facio, propudium hominis potiùs quàm homo: erunt alij, erunt, qui

--- tua cum vitæ post scenia norint,

condignis te modis accipient, & aduersus petulantissima conuicia tua nobilissimæ vrbis famam adsertum ibunt. Sufficiat interim & tibi & alijs tui similibus balatronibus opponere præclarum D. FERDINANDI Imperatoris optimi maximi & omnium seculorum æternâ memoria, benedictione ac prædicatione dignissimi de Repub. Vratisl. testimonium siue elogium: quod vt nullâ annorum vnquam diuturnitate oblitterabitur, ita quidquid in eius laudem & commendationem proferri potest, tanquam per ἐπιτομὴν succinctè neruoseque continet. Sic enim ille ad fratrem Inuictissimum *Carolum* V. Imperatorem conuersus, audientibus præcipuis viris, aliquando dixisse scribitur: *Pulchra vrbs est Vratislauia, & est ibi forma gubernationis optima.*

ma. O glorioſam commendationem ! O felicem tali laudum ſuarum præcone Vratislauiam.

Nefas verò ſit non hoc loco adſcribere magnum ac propè inuidendum de vrbe hac noſtra præconium *Ioannis Michaelis Bruti* doctiſſimi & grauiſſimi auctoris ad ſummum virum *And. Dudithium*, cum is Vratislauiam ſibi ſedem, vbi reliquum ætatis in otio cum dignitate tranſigeret, delegiſſet, hunc in modum ſcribentis: *Neque tibi tamen inuideo, cui contigit eam vrbem* (Vratislauiam) *incolere, in quâ conſtituit Deus exemplar vnicum iuſtiſſimæ ciuitatis & moderatiſſimæ, vbi viget lex & magiſtratus auctoritas; honos virtuti habetur, nequitia plectitur; non perſonarum, ſed rerum diſcrimen decernit aut præmium aut pœnam; vt neque nobilitas, genus, diuitiæ ſint improbitati ſubſidioneq; à præmio obſcuro loco emerſa arceatur virtus. Beata verò ciuitas, quæ cum inter multas opulentiâ, opibus, frequentiâ & numero ciuium excellat, ita optimis legibus temperata viget, vt in ſingulis ciuibus vniuerſæ ciuitatis maieſtas, in ciuitate vniuerſa priuatorum temperantia, pudor, grauitas quaſi vno aſpectu conſpiciatur. Equidem haud videar mihi plus æquo tribuere, ſi id dicam, quod res eſt, me Italiam luſtraſſe, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, Angliam, regiones ferè omnes, vnde ſumi documenta certa ad vitam rectè & cum laude agendam poſſint: neque adhuc, cum non ita multæ ſint, quæ hanc ciuilibus aliis ornamentis æquent; quæ opibus & potentia præſtent, perpaucæ, vllam vſquam hac vnâ grauiorem, ſedatiorem, temperatiorem videre licuiſſe: id quod optimis gentium inſtitutis, priuatorum moderationi & æquitati eſt tribuendum, &c.*

Finem huic ſcriptioni faciã, vbi prius de victus ratione pauca dixero. Ea verò Vratislauiæ tam exquiſita, tamq; parabilis: vt non facilè vrbem reperias, cui hac in parte noſtra concedat. Tanta quippe loci opportunitas, tanta hîc commeantium frequentia, tanta rerum omnium, quæ in cibum & ad potum faciunt, non ad ſatietatem modo, ſed ad voluptatem copia: vt quidquid vſpiam naſcitur, ita hîc exhibeatur affatim, quaſi hîc naſcantur omnia, nihilq; adeò incolis deſit, quo commodè lauteq;

teq; viuant. Si ceruos, apros, lepores, ſi volatilium omne genus, ſi piſces lectiſſimos cupias: hîc habebis. Si te varia condimentorum ex altero orbe euocatorum genera delectent: hîc habebis. Si quidquid ad ſecundarum facit menſarum delicias, ſi pira, mala, pruna, ceraſa, nuces requiras: hîc habebis: neq; melones, cinaras, non aurea, non punica, non cydonia, non cytria mala, non ficus, amygdalas, vuas, non oliuas, & cappares deſiderabis. Si omnium gentium vina Cretica, Italica, Gallica, Iberica, Germanica, Hungarica velis: hîc habebis. Sin factitium cereuiſiæ potum malis: habebis, quæ hic coquitur, laudatiſſimam: neq; ſerueſtanam deſiderabis, non Tarantanam: non Goldbergenſem, non Laubanenſem, non Strigouienſem: Sed quas tamen omnes & robore & ſaporis gratiâ longiſſime ſuperat, quam primo loco nominauimus, Vratislauienſis: de qua cum elegantiſſima parodia ad Horatij Melpomenem à magno quodam viro ſit conſcripta, vt docto corollario concludam & veluti obſignem, illiusq; lectione recreatus lector inſipidi huius condimenti faſtidium leuet, hîc ſubiungere viſum.

Cui tu, Scepſiade, ſemel
Guttur Bresliaco nectare tinxeris:
Illum non Acheloia
Tentabunt gelido pocula flumine.
Non crudi leuis amphora
Rheni Baccharico ſemine proluet
Potorem: neque Creticos
Aut quos vua replet Oenotria, ebriis
Guſtabit labiis, cados.
Sed quem Bresla liquorem è lupulo coquit
Byne triticeâ inditâ,
Curis ſollicitum triſtibus eximet.
Breslæ principis vrbium
Iam tum me ſobolis inter obeſulos

Potorum

Potorum numerat greges.
Et iam ventris onus vix tumidi fero
O Cerusiola, aridi
Quæ sedas rabiem, Scepsia, gutturis.
O ipsi quoque Tantalo
Exstinctura feram, si liceat, sitim.
Totum muneris hoc tui est,
Quod Sol siue oriens, siue iterum cadens
Me semper madidum videt.
Quod nunquam esurio, nec sitio, tuum est.

Atque hæc habui, quæ de hospita & amatâ mihi Vratislauiâ literis visum prodere; quæ si probari cunctis sensero, erit quo læter summo iure. Si minus, paratam mihi cordati lectoris veniam scio aut certè opto: vrbemq; hominibus, opibus, legibus nobilissimam Dei ter opt. max. qui est verè πολιοῦχος, qui confortat seras & vectes portarum, benedicens filiis vrbis in ea, vt Psalmographi verbis vtar, præsidio tutelæque ex animi sententia commendo.

FINIS.